



V
B
J
C
38597
II

~~[illegible]~~

~~[illegible]~~



VITÆ SANCTORUM & SANCTARUM

Ordinis Canonicorum Regularium
Sanctæ Hierosolymitanæ Ecclesiæ,
Custodum Ssmi Sepulchri,
nunc primùm editæ,
in quibus
Res in Palæstina gestæ, Historia Orientalis, Status Hierosolymitanæ Ecclesiæ, Notitia Ordinis, continentur.

AUTHORE
FLORIANO BUYDECKI
Canonico Ssmi Sepulchri, S. Th. Doctore, Ordinis sui apud Sanctam sedem Procuratore Generali.

Additi sunt tres Indices; *1mus*, Authorum, ex quibus collectæ sunt Vitæ; *2dus*, Sanctorum, quorum Vitas hic liber continet; *3tius* rerum Notabiliorum.

CRACOVIÆ
In Officina Dominici Siarkowski, S. R. M. Typ. & Bibliop. *A. D.* 1743.

In Stemma
Illuſtriſsimæ & Excellentiſsimæ Domûs.



I.

Quid tria DEBOVIO miraris tela decore,
Inſcius an vitam, funus, an arma dabunt?
Funera dant hoſti: heroæ dant vivere menti,
Tutamen Patriæ præſidiumq; ferunt.

II.

Præſidium, decus atquè mei dum quæro laboris,
Tu primus, Noſter quem labor optet, ades.
Vitæ Sanctorum fient Te Præſule Sacræ.
Præſidium fient, Nomen & Arma Tuum.

Illustrisſimo, Excellentisſimo
&
Reverendisſimo Domino
D. NICOLAO
à DĘBOWA GURA
DĘBOWSKI
Episcopo Camenecensi,
Præposito Commēdatario Miechoviensi,
Canonicorum SS. Sepulchri Protectori
Amplisſimo.

I Gnosces audaci fiduciæ, ANTISTES ILLVSTRISSIME EXCELLENTISSIME, *quod pro Tuorum in nos meritorum Magnitudine, pro meorum in Te obsequiorum multiplici studio & debito, exiguum hunc laborem, Præsuleis ingeram manibus, oculo subijciam judici, plantis necdum exoratis substernam, Nomine Armisq;* Domûs Illustrisſimæ *exornem & defendam. Inscripta*

 nimirum

nimirum pridem cœlo Divorum Nomina, terris hactenus planè insepulta, quia multis nominibus Tua sunt, ab Illustrissimo DEBOVII *Nomine, in lucem publicam animari debuerant. Te* Præsul Reverendissime *religionis utiq; & virtutis animam, Sanctorum deposcunt vitæ; laude omni Majorem Pontificem, in elogii partem vocant, Sacræ Divorum panegyres; æternitate digna virtutum exempla, Te probitatis exemplar ambiunt, ut ex Eo legatur faciliùs, feliciùs addiscantur quam ex codice. Quapropter si vitas & elogia Divorum sine Tuo Nomine, vel Nomen Tuum sine Divorum elogiis, orbi porrigerem, favori Cœlitum erga Te, & Tuæ in Cœlites pietati, Tuæ in Religionem Nostram benevolentissimæ devotioni, & securitati felicitatis nostræ non immerito existimarer injurius; cum* in Te NICOLAO, *inexhaustum pietas thesaurum,* in Te Antistite, *securissimum fides Præsidium,* in Te Præposito Commendatario Miechoviensi, *Custodes Sepulchri utrumq; habeamus. Sanctorum proinde Nostrorum in immortalitate dignis eorum gestis, laudes, orbi universo exponam, Tuo sub Nomine; & Tua Ipsius, eorundem laudatione, celebrabo encomia; optabili planè Oratori argumento, quia & elogii genus illustrius, à trabeati sangvinis Tui obtingit Titulis, & ego citra assentationis notam, laudare Te gestiam, ubi præclarè gesta, quæ Tibi cum Divis quàm plurimum communia sunt, extulero. Id enim verò restabat unicum, ut postquam in Senatu Patres Patriæ, in bello libertatis propugnatores, prima in consiliis capita* DEBOVIOS, *adoravit Polonia, etiam inter Divorum fastos, Iidem Sacrorum Principes, Religionis vindices, virtutum assertores legerentur, & laudarentur; atq; Sanctorum coronarent elogia, qui semper orbem Lechicum exornarunt. Mitto tamen ornatissimæ Domus Vestræ facta ad culturam vocare dictionis, ne corrumpam si minùs*

lauda-

laudavero; Sed nec rudi ordine percurram, Amplissima ornamenta Poloniæ, quæ illi Vestra porrexit Domus, ne aut immensus sim, si recensere singula desiderem, aut sæculorum recordationi difformis, si in tanta illustrium Virorum copia, oblivione universos prætaream, quos grata mente complectitur Patria, probè conscia, quantùm trabeis Procerum à Vestro sangvine, quantùm Illustrissimis Titulis, à Vobis *lucis accesserit. Animos factorum memores habent pro annalibus, antiqua Senatûs Poloni decora,* Belzensis alter, alter Lanciciensis Palatinus Dębovii; *superfluè contra obliviosorum injuriam temporum, muniendi calamô, quia Civium Patriæ inclusi cordibus, feliciùs in eis perennant, quàm in pagina* Illustrissimos Parentes Tuos, Florianum Iudicem Plocensem & Evam de Ciechanowieccijs Dębowska *atq; Inclyta tam Familiæ Vestræ, quam* Orbis *Lechici decora, Patrios Maternosq; Avos, emeriti singularitate elogii non prosequor, Te unum in universæ Prosapiæ & Parentum Illustrissimorum coronam stat tuo, Majorum gloriæ, plus ex Te additurus, quam taciturnitate quadam detraxerim. Viderat in Vavelli apice, prouida publicis commodis* Serenissimi AVGVSTI II. *palpebra, Te Cracoviensis decus Capituli, & Regni ornavit titulis. Viderat in aureo* NICOLAI *Nomine gemmam Sacerdotum, & proximam suo voluit diademati, & jam tum Regnorum fastis dignum Virum, Regni jussit* Notarium. *Habebat quod ex Te legisset Respublica, cujus obsequiis Te totum transcripsisti optimus Civis Patriæ; Habebant iniquioris Fortunæ, terminis circumscripti, pretiosos liberalissimæ manus Tuæ characteres, quos illi quidem ad solatia afflictæ sortis legerent, tu verò egentium Pater notareris. Istas manifestæ virtutis notas advertit in Te, ex æquo Regni integritati, ac dignitati Virtutum prospiciens,* Serenissimus AVGVSTVS

STVS III. & *à Regni calamo avocatam manum*, Camenecensi *admovit Pedo*; *parem Pontificiæ dignitati sustinendæ, defendendæ Fidei, fulciendæ Patriæ dexteram*; *ut illud Christianitatis propugnaculum & antemurale Poloniæ, in Te Præsule, tam Religionis veræ columen, quàm Virtutis præsidium, habuisset*; *nec minus contra quosvis hostium Patriæ impetus, fortissimis armaretur propugnaculis, quàm contra Fidei orthodoxæ juratos inimicos*, Te Dębovio, *Patriisq; muniretur telis.* *Non tamen sola Nomen & gloriam Pontificiam, concludit Podolia, Tuus sangvis est, qui Plocensem irrigat Diœcesim, in* Illustrissimo Excellentissimo & Reverendissimo Domino, ANTONIO SEBASTIANO DĘBOWSKI Plocensi Episcopo. *Germanas virtutes nacti estis, adeò, ut si eadem utrumq; non genuisset Domus Fratrem, fecisset probitas. Audiunt adeo glorioso probitatis nexu, conjuncta Fratrum nomina, etiam gentes illæ, quas æquorum à Nobis tractus diviserat; pleno gloriam Vestram devehunt alveo, Vestras alluentes Diœceses, hinc Vistula, inde Borysthenes, referuntq; longinquis Regnis sudores, quos pro Patria Senatores, pro Religione Præsules, profunditis. Quid memorem unam & indivisam Germani pectoris Vestri, in Nos benevolentiam? à Nobis illa ignorari non potuit, quam Roma didicisset. Implevit literas gratiis & faventissimo ad Sacram Rituum Congregationem, Nostrum Ordinem ultra merita extulit elogio*, Illustrissimus Plocensis Antistes, *Tu verò Præsul* Reverendissme Illustrissime, *quas erga Sanctissimum Domini sepulchrum, Pontificio pectore, sanctiores foveas flammas, in amplissima Ejusdem laude, & sollicita dilatandæ suæ gloriæ, & Officij Divini extendendi, Pastorali Cura, luculenter demonstrasti*; *& ne solus arderes, alios quoq; Emeritissimos Poloniæ Nostræ Præsules, ad eandem curam inflammasti. Manebimus ad cineres & sepulchrum*

grati,

grati, tam beneficij Tui, quàm Nostrorum Officiorum memores. Illustrissimos THOMAM Plocensem Capitaneum, IOSEPHVM *Venatorem Terræ* Zavkrensis, STANISLAVM *Signiferum Serenissimi Regnantis, &* IOANNEM Dębovios, *Fratres Tuos, prolixum esset distinctis extollere laudibûs,* Dębovii *sunt, & Fratres* Tui: *Trabearum & Regij Favoris hæredes proximi. Illustrissima* Zamoysciorum Gomolensciorum Mokrsciorum *Nomina, Ejusdem Tecum Sarianæ Stirpis: Principum Mitrîs, Ducum clavîs, Heroum laureîs & ipsa Regum serenitate Inclytos* Radżivilios Danilovicios, Skarbkovios, Opalinscios, Czartoryiscios, Potoccios, Sanguszkones, Sobjescios, *Domui Tuæ Illustrissimæ, Sangvinis nexu conjunctos, recensere ad extremum placuit, ut sciat orbis, qua serenitate Divorum vitæ prodeunt, Tuo sub Nomine. Suscipe itaq; Antistes Maxime, in Te, & decus & præsidium habiturum, munus istud, quod Præsuleæ consecro dignitati. Beatæ illæ animæ, sæculorum memoriam in terris habituræ, faciant Te beatos dies longissimè vivere, Divinîs gratiîs & honoribûs, factisq; immortalitate dignîs perennare.*

Ita vovet.

Illustrissimæ Excellentissimæ Reverendissimæ Dominationis,

Devinctissimus Servus,
Florianus Buydecki Canonicus S. Sepulchri.



Approbatio Ordinis.

Librum cui titulus: *Vitæ Sanctorum & Sanctarum Ordinis Canonicorum Reg: S. Hierosol. Ecclesiæ &c.* ab Jllustri & A. R. Floriano Buydecki, Canonico Ordinis Nostri, satis magno & diuturno labore, ex probatis & Classicis Authoribus collectum, diligentissimè legi. & quia in eo nihil reperi fidei Catholicæ repugnans, sed omnia venerandam antiquitatem præseferunt, proinde ad Majorem Dei & Sepulchri Christi gloriam, Sanctorumq; venerationem, typis imprimendum concedo facultatem, si iis ad quos pertinet ita videbitur. Datum in Canonica Gńli Miechoviensi, Die 26. Mensis Martij. *A. D. 1737.*

M. Jacobus Radlinski S. Th: Doctor, Canonicorum S. Sepulchri, Congregationis Miechoviensis Custos Generalis mpp.

Vitæ Sanctorum & Sanctarum, Ordinis Canonic: Reg: Sanctæ Hierosol: Ecclesiæ, &c. ex Variis & Classicis Authoribus collectæ, non solùm ad publicam notitiam, à Studioso Instituti sui Authore; verùm ad cultũ imitationemq; eorũ, concinnè propositæ, ad Majorem Dei Gloriam, qui est mirabilis in Sanctis suis, censeo ut imprimantur. Datum in Canonica Cracoviensi S. Hedvigis, ejusdem Ordinis. Die 25. Februarij. *Annò 1737.*

M. Venceslaus Muratowicz S. Th. Doctor ejusdemq; Professor actualis in eadem Canonica, Canonicorum S. Sepulchri, Congregationis Miechoviensis Consiliarius. P. Chelmensis.

Approbatio Diœcesana.

I M P R I M A T V R:

M. Martinus Waleszynski S. Th. Doctor & Professor, Collegij Majoris Senior Pater, Canonicus Cathedralis Crac: Premycovien. Præpositus, Studij Gńlis Universitatis Crac: Procancellarius, Librorum Diœcesis ejusdem Ordinarius Censor. Datum Cracoviæ in Collegio Majori Die 15. Aprilis 1737.





PRÆFATIO
Ad Lectorem.

VItas Sanctorum Ordinis mei, Lector amice tibi propono, in quibus conscribendis, non sum imitatus Græcos, uti summos Oratores, sed Romanos, quibus satis est, non esse mendaces. Absit veró à me, ut mendax sim, qui nihil, nisi Auctore in margine notato cum suis notis, profero, quo fidem meam liberem: Vnde in hoc opere meo, nec stylus adeò æqualis, aut fluidus: quoniam ex diversis Auctoribus confectus. Hæc te mi Lector scire volo, quòd in hoc opere, non sit intentum meum, vitas omnium Sanctorum & Sanctarum, Vniversi Ordinis mei proferre, cùm sit eorum immensus propemodum numerus, & sicut antiquitate Nostra Religio, inter omnes alias Religiones primatum obtinet, ita & Sánctorum numerositate. Cùm enim Ecclesia Hierosolymitana, sit antiquior omnibus per totum Orbem Ecclesijs, à qua Ordo Noster Canónicus suam ducit originem, utpote à Sancto IACOBO IVSTO Apostolo, & primo Episcopo Hierosolymitano fundatus; ita etiam hic Noster Ordo, per tot sæcula annorum, immensum producit Sanctorū numerum. Deinde Ecclesia Hierosolymitana,

mitana, à qua, ut dictum est, Ordo Noster Canonicus ducit originem, erat Patriarchalis, habens sub se alias Ecclesias, utpote Metropolitanas quatuor, Cathedrales autem & Suffraganeas centum, quas numera apud Vilhelmum Tyrium de bello sacro lib: 24. cap: 12. ad calcem libri; & apud Baronium Annal: Eccl: tomo 6. Anno 553. penes quas Ecclesias, Canonici Ordinis Nostri manebant, easdem Ecclesias regebant, & ex eis ad has Ecclesias assumebantur Episcopi. Si ergo & harum Ecclesiarum Sanctos Episcopos, & Canonicos, in libris & Historijs revolverem, esset eorum innumerabilis multitudo. Ac tandem si alias Ecclesias extra Palæstinam positas, quas Ordo Noster regebat, quæ tam in Bulla Cœlestini Papæ secundi Approbatoria Ordinis Nostri, quàm apud Gabrielem Pennotum lib: 2. cap: 67. & cap: 41. Tum apud Iacobum de Vitriaco, in Hist: Hierosol: abbrevi: cap: 57. fol. 1077. & apud Tyrium lib. 11. cap: 12. Tum & alias Ecclesias Ordinis Nostri, in Bulla Honorij Tertij Papæ, de Data apud Vrbem Veterem decimo quarto Kalend: Septembris, Pontificatus sui Anno quinto, per Vniversum Orbem, ac Regna ejus sparsas, specificarem. Ad extremum si duo millia Octoginta octo Claustra à Canonicis Nostri Ordinis inhabitata, ut patet ex publico Instrumento Anno 1380. Feriâ 2dâ ante Festum Sanctæ Valpurgis, per Guilhelmum Patriarcham Hierosolymitanum confecto, penetrarem; immensum Sanctorum Ordinis Nostri Catalogum texerem, ita, ut quod Ioannes de Nigravalle, Sacræ Romanæ Ecclesiæ Bibliothecarius in

Epi-

Epilogo diverſ: chronic: epil: 12. ex Anaſtaſio Cardinali, & Romanæ Eccleſiæ Bibliothecario, de Vniverſo Ordine Canonicorum Regularium ſcribat: quòd tam multi ex prædicto Ordine reperiantur Sancti, ut eorum *celebrandis feſtivitatibus, ſeu commemorationibus dicendis, per totius anni circulum, ſingula quaq; die, ſufficiant circa quingenta.* Hoc ego de uno Ordine Canonicorum Regularium, Sanctiſsimi Sepulchri (licet & hic non differat eſſentialiter ab Ordine Canonicorum Regularium, à Beato AVGVSTINO, & à Sanctis Apoſtolis inſtitutorum, ut deducit Gabriel Pennotus, lib: 2. cap. 68. per totum, niſi fortè ſolâ accidentariâ differentiâ) dicere poſſum. Adeòque non eſt intenti mei, per omnes Eccleſias, quas Ordo Noſter intra & extrâ Palæſtinam regebat, peregrinari, vitasq; omnium Sanctorum, Vniverſi Ordinis Noſtri colligere, cùm hoc opus ejusdem eſſet difficultatis, cujus & numerare ſtellas.

Solius itaq; Eccleſiæ Hieroſolymitanæ Sanctorum, tibi vitas propono, non quidem adhuc omnium, quia aliorum Sanctorum Hieroſolymitanæ Eccleſiæ, paſsim ſunt apud Authores, reperibiles vitæ, quas deſcribere, ſuperfluum mihi videbatur, utpote apud Petrum Lûll in lib: Mauſol: Sancti IACOBI, multis in locis & præcipue cap: 13. qui Sancti, manebant Hieroſolymis ad Eccleſiam Sanctiſsimi Sepulchri, aliqui verò illorum translati, ad Eccleſiam Bethleemiticam, (ubi antequam hæc Eccleſia in Cathedralem erecta, erat Prioratus Canonicorum Regularium Ssmi

Sepulchri, ut Scribit Iacobus de Vitriaco, in Hist: Hierosolymitana abbreviat capt 57. fol. 1077.) Tandem Sancti SABÆ, qui à Salustio Patriarcha Hierosolymitano, in Præsbyterum consecratus: Moris autem fuit Ecclesiæ Hierosolymitanæ, & Episcoporum illius Ecclesiæ, ut quem Præsbyterum consecrassent, eundem in numerum & Catalogum Canonicorum Regularium Sanctissimi Sepulchri referebant, ut factum est cum sancto ELIA & Martyrio, ut habes in vita ejus, in hoc libro 4. Iulij, ab eodem Divo Salustio Patriarcha Hierosolymitano in numerum Canonicorum Ecclesiæ Sanctissimi Sepulchri, inscripto. Tum quia Canonici Ordinis Nostri in Belgio, hujus Sancti SABÆ Festum celebrant, ab antiquo & immemorabili tempore, more ex Hierosolymitana Ecclesia introducto, adnumerantq; hunc Sanctum, numero Sanctorum sui Ordinis, ut videre licebit in Officijs ipsorum Leodij typo impressis. Sancti AVGVSTINI item, Legislatoris mei, vitam in hoc opere comprehendere nolo, licet hic Sanctus Doctor ex Hierosolymitana Ecclesia, normam vivendi acceperit, Regulámq; suam adinstar Regulæ, Clericis à Sanctis Apostolis Hierosolymis traditæ, composuerit; ut ostenditur in vita Sancti SIMEONIS Episcopi Hierosolymitani 18. Februarij, ex Dagoberto Patriarcha. Nolo inquam hîc, Sancti Doctoris producere vitam, cùm ejus laudibus plenus est mundus, pleni libri, plenæ sapientum voces, præcipuè apud Gabrielem Pennotum, in toto libro primo, ubi Sanctum Patrem defendit à Monachatu, cui ego subscribo.

Ex

Ex Sanctis autem Fœminis, primitivæ Ecclesiæ Hierosolymitanæ, à quibus Canonissæ Regulares Sanctissimi Sepulchri ducunt originem, propter eandem causam, hîc vitas non produco, utpote Sanctarum MARIÆ IACOBI, MARIÆ MAGDALENÆ, MARTHÆ, quæ omnes Religiosæ fuerunt, ut mox ostendam, Discipulæq; Sancti IACOBI, & secundùm institutionem ejusdem Sancti IACOBI vixerunt, ut scribit Petrus Lûll, in libro sæpè allegato cap: 8. Item Sanctæ PAVLÆ, quæ ad Sepulchrum CHRISTI maximè devota fuit, & in Monasterio Bethleemitico ad Præsepe Domini, omnibus clara virtutib9 sanctissimè vixit, vitamq; inibi finivit. Tum Sanctæ EDITHÆ & ODILIÆ, seu ut alij scribunt OTILIÆ, quarum Petrus Lûll in Libro suo cap: 18. mentionem facit, easdemq; Canonissis Regularibus Sanctissimi Sepulchri adscribit. Tandem etiam non est intenti mei, vitas aliorum Virorum, & Virginum Nostri Ordinis conscribere, qui non sunt in Martyrologio Romano, aut quorum non celebrantur festivitates in Ordine Nostro, uti Venerabilis Alveræ de Virmund, Canonissæ Regularis Sanctissimi Sepulchri, & earundem Canonissarum Priorissæ Iuliacensis, licet hæc Iuliaci, ubi sepulta, habetur pro Sancta à suis Sororibus. Tandem Mathias Łubienski, Ordinis Nostri Sanctissimi Sepulchri Canonicus, & in Conventu Miechoviensi Professus, postea Episcopus Chelmensis, Posnaniensis, Vladislaviensis & Pomeraniæ, ad extremum Archi Episcopus Gnesnensis, Regni Poloniæ & omnium virtutum Primas, primusq; Princeps, quem DEVS

in-

in vitā gratijs; post mortem miraculis illustravit, ac præcipuè, quòd Corpus ejus, per centum annos incorruptum servatur; ab omnibus in Archi-Diœcesi Gnesnensi, me audiente, Sanctus Episcopus nominatur. Non est mihi inquam hic Princeps pro meta, ut ipsius vitam scribere contenderem, cùm seorsivus tomus in hac materia conficiendus esset. Vtinam DEVS nomen hujus pijsimi Viri, in decus Primatialis dignitatis, in solatium Illustrisimæ Łubienianæ Domûs, in ornamentum Ordinis mei Canonici, & præcipuè in majorem gloriam suam, Catalogo Sanctorum inscribat: Vtinam esset tempus, ut fama hæc: Sanctus Mathias Łubieński, à solis ortu usq; ad occasum dilatetur, promulgetur: Phosphore redde diem, cur gaudia nostra moraris? Phosphore redde diem.

Porro quòd hi Sancti, quorum vitas conscripsi, & quorum in hac Præfatione mentionem feci, fuerunt verè & propriè Religiosi; patet tum ex eo: quia Apostoli fuerunt verè Religiosi, cum emisione trium votorum, ut ostenditur in vita Sancti Fundatoris, & Patriarchæ mei IACOBI IVSTI Apostoli. Hoc ipsum docet & S. AVGVSTINVS 17. civit: cap: 4. S. THOMAS 2. 2. q. 88. art: 4. ad 3. Item. Alvarus Pelagius, lib. 2. de planctu Ecclesiæ c. 9. Hieroni Platus, lib: 2. de bono stat: relig: c. 20. Cornelius à Lapide, in Comment: in Acta Apost: cap: 5. Dominicus Soto, lib: 7. de Iustit: & Iure q. 2. art: 5. Alphonsus à Castro, contra Hæreses in verbo votum. Petrus Paludanus, in 4. d. 38. Gabriel Pennotus,

tus, lib: 2. c. 5. Ioannes Le Paige, in sua Bibliot: lib: 1. sect: 4. Franciscus Suarez, tom: 3. de Relig: c. 1. n. 15. Ioann: Baptista Signius, lib: 1. c. 2. & plurimi alij. Ergo etiam & primi Clerici à Sanctis Apostolis instituti, fuerunt verè & propriè Religiosi. Consequentia patet: quia id suadebat fervor illius ævi, & primitiæ spiritûs, quas ipsi hauserant, & doctrinam Apostolorum servabant, de quibus, sicut de omnibus Fidelibus, Sanctus LVCAS ait cap: 4. *erant perseverantes in doctrina Apostolorum.* Tandem hanc ipsam propositionem, quòd etiam & Clerici abApostolis instituti, fuerunt verè & propriè Religiosi, affirmativam tenent, Alphonsus à Castro, Petrus Paludanus, locis supra allegatis. Gabriel autem Pennotus, tum Ioannes Le Paige, locis suprà de Apostolis specificatis, solidissimis firmant & probant rationibus & argumentis. Deinde Cornelius à Lapide, loco suprà de Apostolis specificato, fundamentalissimè probat, primos Fideles, veros fuisse Religiosos; multò magis Clericos, eorum in virtute Duces. Quò ad verò Eclesiam Hierosolymitanam, de cujus mihi hîc Sanctis sermo, expresse Gabriel Pennotus, lib: 2do. cap: 5. num: 9. docet: quòd eadem Ecclesia, à sui prima institutione semper fuerat Regularis. Hoc ipsum & Ioannes Le Paige in sua Biblioth: lib: 1. sect: 4. Ioannes Baptista Signius lib: 1. cap. 10. de Hierosolymitana specificè, scribunt Ecclesia, quorum Authorum brevitatis causâ authoritates & probationes omitto: tantùm infero, Sanctos, quorum hîc vitas legis, cùm sint Ecclesiæ Hierosolymitanæ, fuisse Religiosos, & Regulares Clericos Ecclesiæ Hierosolymitanæ.

Iam ergo Sanctos hos, verè Religiosos, ac tribus votis obstrictos ostendimus; aliquid de habitu eorundem Sanctorum innuamus; cùm sint relativa, Religiosus, & habitus religiosus. Certum igitur est: Episcopos Hierosolymitanæ Ecclesiæ, usos fuisse veste linea, (quæ est proprius habitus Canonicorum Regularium) ut scribit Sanctus HIERONYMVS, in lib: Virorum illustrium, de Sancto IACOBO Hierosolymitanæ Ecclesiæ Episcopo, usum fuisse veste linea, in qua, ut liber Historiæ Sancti SILVESTRI testatur, B. EVPHROSINVS Episcopus Pamphiliæ Romam venit, veste linea, quæ dicebatur fuisse Beati IACOBI Apostoli, indutus. Pari modo etiam Clericos Hierosolymitanæ Ecclesiæ, non alio habitu usos fuisse, nisi veste linea, idq; per modum Rocheti facta, ad imitationem veterum Sacerdotum & Levitarum Legis Mosaicæ, Exod: 28. 29. & alibi passim, qui utebantur Ephod lineo; Ephod: autem lineum, fuit cum strictis manicis, ut testatur Sanctus HIERONYMVS. Sanctus autem AVGVSTINVS tunicam lineam, de communi vita Cler: appellat Rochetum, ut refert Signius lib: 3. cap: 4. fol: 261. Hi autem Levitæ, legis Evangelicæ Sacerdotes & Levitas præfigurabant: ut docet Gratianus, dist: 21. cap: 2. in principio. Durandus, in ration: Divinorum Officiorum lib: 2. cap. de Sacerd: & Albertus Trottus, in lib: de perfecto Clerico cap: 16. & 17. Quem quidem habitum lineum, sive Rochetum, Canonici Nostri, statim Hierosolymis amissis, per Italiam sparsi, mantileto nigri coloris desuper addito, detulisse leguntur, quod postea

stea Rochetum, Leo ejus nominis tertius, Pontifex Maximus, pro Canonicis Nostris confirmavit: de Data Romæ apud Sanctum PETRVM, anno Incarnationis Dominicæ 1520. tertio nonas Octobris, Pontificatûs sui anno octavo, editâ Bullâ, quæ incipit: *Cùm à nobis petitur, quod justum est &c.* Tandem etiam & Sacra Rituum Congregatio Die 12. Martij Anno 1661. idem Rochetum simul cum Mantileto pro Canonicis Nostris, suo Decreto confirmavit; quod Decretum postea in Acta Consistorij Generalis Cracoviensis Anno 1664. Die Iovis, 10. Mensis Ianuarij ingrossatum est. Et neq; dicas, quòd Nostri Canonici, solùm in Ecclesijs & functionibus Ecclesiasticis, hujusmodi habitum deferunt; nam idem Rochetum Canonici Nostri, non solùm quando munera Clericalia exercent, sed & in alijs actibus, uti in Capitulis Generalibus, publicisq; alijs actibus deferunt, ita, ut idem Rochetum, sit eorum usualis habitus.

Sed quia Nostri Canonici, præter Rochetum, suprà Mantiletum aut Mucetum, deferunt Crucem duplicatam rubeam, quæ itidem est essentialis habitus Nostrorum Canonicorum; utrum igitur hi Sancti, quorum hîc vitas descripsi, utebantur præter vestem lineam, etiam Cruce rubea? Respondeo: de Sancto Nostro Patriarcha IACOBO, primo Episcopo Hierosolymitano, habes in vita ipsius, quòd ipsi Beatissima Virgo MARIA, Sanguine Filij sui eandem Crucem in pectore exaraverit; quod scribit Petrus Lûll, in vita Venerabilis Alveræ de

Virmund, parte 2. cap: 16. fateturq; id accepisse, ex libro antiquissimo, Catalogus Hierosolymitanus dicto, quam traditionem sequitur Nostri Ordinis Doctor, nunc meritissimus Superior M. Iacobus Radlinski, cujus in decem jam libris, ab ipso conscriptis, & typo impressis, *collaudabunt multi sapientiam, & usq; in sæculum non delebitur; Non recedet memoria ejus, & nomen ejus requiretur, à generatione in generationem. Sapientiam ejus enarrabunt gentes, & laudem ejus enuntiabit Ecclesia:* qui, inquam, in uno ex decem suis libris, Sepultura Viventium dicto, in præfat: hanc traditionem sequitur, eamq; confirmat multis rationibus, ad quem te remitto.

Nec dubium igitur est, etiam Clericos Regulares primitivæ Ecclesiæ Hierosolymitanæ, ad exemplum sui Patriarchæ, tali duplicata Cruce rubea usos fuisse, ut habes in vita Sancti STEPHANI ejusdem Sancti IACOBI Diaconi, in hoc libro, ex revelationibus Mariæ de Agreda, quam Crucem Beatissima Virgo MARIA, post mortem ipsius, jussit sibi adferri; tum in vita Sancti SIMEONIS, in hoc libro 18. Februarij, qui post mortem Sancti IACOBI, Crucem accepit, nec dubium, quòd eandem & portaverit. Præterea fulcit hanc meam propositionem Iacobus Lobbetius Leodien: è Soc: IESV, qui in Via vitæ & mortis lib: 3. cap: 7. fol: 340. & sequen: asserit, usum portandæ Crucis ab Apostolis inductum & confirmatum esse; dum inquit: *Primi illi vitæ Christianæ Satores, ab ipso Servatore Christo probè instituti Crucem ferebant, ut fidei tesseram, professionis suæ*

notam

notam, symbolum & ornamentum illustre pietatis, videre est illud in nummis Fulvij Vrsini, in quibus prima illa surgentis Ecclesiæ lumina Apostoli, Ioannes & Philippus expressi sunt, & palliola Crucibus intexta, ad humeros & pectus habent. Horum morem avitamq; pietatem imitati deinde summi Pontifices, in quorum pallijs, & à tergo & à pectore, legebantur olim Cruces purpurei coloris, quas Venantius Fortunatus lib: 2. ep: 3. apellat; pallia textili Cruce insignia. Hæc ipsa veritas, quòd Canonici Nostri, à prima sui institutione, scilicet ab Apostolo IACOBO, portaverint Crucem duplicatam; etiam revelationibus Divinis probatur: Cùm enim DEVS, Sancti Nostri Diaconi & Protomartyris STEPHANI, Corpus revelaturus esset, Sanctus GAMALIEL Hierosolymitanæ Ecclesiæ venerandus Sacerdos, Sancto LVCIANO pariter Presbytero & Canonico Hierosolymitanæ Ecclesiæ, jussu Divino, tribus vicibus apparuit, designando & revelando Corpus S. STEPHANI; apparuit autem ipsi Cruce insignitus in pectore, quam, dum viveret, portaverat, ut testatur Sanctus LVCIANVS, in Epist: sua de invent: Corporis S. STEPHANI, dum ait: *Horâ tertiâ noctis, quæ est prima vigiliarum, quasi in extasi effectus, semivigilans, vidi Virum senem, longum, Ierophrebem, hoc est dignum Sacerdotem, canum, barbam prolixam habentem, palliatum alba stola, cui inerant gemmulæ aureæ, habentes intrinsecus Sanctæ Crucis signum &c.* quam visionem ejusdem Sancti Viri cum Cruce in pectore, secundò & tertiò LVCIANVS habuit. Vnde etiam ex reve-

lationibus Divinis manifestè patet, Sanctos Ordinis Nostri Sacerdotes & Canonicos, statim à temporibus Apostolorum, habuisse usum portandi Crucem in pectore, qui usus, adusq; in Nostro Ordine conservatus, & Constitutionibus à Sancta Sede Apostolica confirmatis, roboratus.

Hæc te amice Lector scire volui, sed quòd Te diutiùs detinuerim, ne mihi succenseas. Tu si vitas has legere voles, jam licet, si ergo gratus earum es, gratias age illi, (ut Sanctus meus Patriarcha in Epistola scribit) *à quo omne bonum optimum, & omne donum perfectum, desursum est, descendens à Patre luminum.* Si minùs gratus es, aut tu diligentior ex abundantiori tua penu profer, quæ mihi grata erunt; aut excusatam habeto inopiam meam; seu (ut verbis Sancti HIERONYMI, Epist: 50. ad Estoch, utar) *aut meliores appone epulas, & me conviva utere, aut qualicunq; cœnula nostra contentus esto.* Interim ex scriptis meis, sit DEO major gloria, Beatissimæ Virginis honor sempiternus, Sanctis Patronis cultus perennis, Amen.



CATALOGVS AVCTORVM,

Ex quibus collectæ Vitæ Sanctorum Ordinis Canonicorum Regularium Custodum Ssmi Sepulchri.

A.

Adrichomius.
Alvarus Pelagius.
Anaclerus Papa.
Andreas Eborensis.
Angelus Maria Cherubinus.
S. Anastasius.
Arnoldus Raysſius.
S. Augustinus.

B.

Baronius Cardinalis.
Berengosius.
Breviarium antiquum.
Breviarium Carmelitarum.
Brunner.
Bzovius.

C.

S. Chrysostomus.
Clemens Alexandrinus.
S. Clemens Papa Imus.
Cornelius à Lapide.
S. Cyrillus Ordin: Canonicor: Ssmi Sepulchri.

D.

Dorotheus Episcopus Tyri.

E.

Elers Ordinis Prædicatorum.
S. Epiphanius.
Evagrius.
Eusebius.

F.

Ferrarius Alexandrinus.
Freculphus.

G.

Gilbertus ab Elsrack Canonicus Ssmi Sepulchri.
Gorczyński.
S. Gregorius Nissenus.
S. Gregorius Turonensis.

H.

Haymon.
Hegesippus.
S. Hieronymus.
Hieronymus Platus.
S. Hilarius.

I.

Iacobus de Vitriaco.
Iacobus de Voragine.
S. Ignatius Episcopus Antiochenus.
Iosephus de bello Iudaico.

K.

Kochanowski.
Kwiatkowski.

L.

Le Paige.
Lobbetius.
S. Lucianus Canonicus Ssmi Sepulchri.
Lûll Canonicus Ssmi Sepulchri.

M.

Magnum Chronicon Belgicum
Marianus Scotus.
Maria de Agreda.
Martyrologium, Viola Sanctorum dictum.
Michàél Præpoſitus, Canonicus Ssmi Sepulchri.
Molanus.

N.

Nakielſki Canonicus Ssmi Sepuchri.
Nauclerus.
Nicephorus Caliſtus,
Nicetas.
Nieſzporkowicz.
Notationes ſuper Martyrol: Rom: Baronij.

P.

Paulinus.
Pennotus.
Piſkorſki.
Platina.

R.

Radlińſki Canonicus Ssmi Sepulchri.
Rufinus.

S.

Signius.
Socrates.
S. Sophronius Ordinis Canonicorum Ssmi Sepulchri.
Sozomenus.
Spondanus.
Stephanus Episcopus Doren: Canonicus Ssmi Sepulchri.
Sulpitius Severus.
Surius.

T.

Tempesta Romanus.
Theodoretus.
Tyrius.

Z.

Zonara.



VITA



VITA
Sancti JACOBI JUSTI Apostoli, Primi Episcopi Hierosolymitani, Ordinis Canonicorum Regularium Custodum Sanctissimi Sepulchri, Patriarchæ & Fundatoris.

1mâ Maij.



Anctus Iacobus genere Hebræus, (a) Filius fuit Alphæi, & Mariæ, fœminæ Sanctissimæ, quæ à Filio cognominata est Iacobi. (b) Fratres habuit Iudam & Simonem Apostolos, ac Ioseph Iustum, qui oppositus fuit Sancto Matthiæ, in sorte Apostolatûs. Quo ad cognomen Iacobi, vocatus fuit Frater Domini, tum quia cognatus

(a) Baronio in app: num: 67

(b) Cornelius in Proemio Coment: in Epist: Iacobi fol: 4. & sequen:

erat Christi, siquidem Maria, Soror fuit Sanctissimæ Virginis, non germana ex Anna, sed consobrina ex Sorore Annæ genita, tum quia (c) Christo simillimus moribus, formâ & vultu, ac si Christi Frater & gemellus fuisset. Secundò cognominabatur Iustus, (d) ab eximia justitia & sanctimonia. Tandem Sanctus (e) Epiphanius asserit, ejus cognomen vulgò fuisse Oblias, id est murus & præsidium, pro quo alij legunt Ophlias ab Ophel, id est Arx, turris celsissima & munitissima. Hic Sanctus (f) instar Ioannis Baptistæ & Ieremiæ sanctificatus fuit in utero Matris, qui etiam (g) à puero simul cum Christo, uti ejus cognatus & Frater, fuit nutritus & educatus. Postquàm autem ætate crevit S. Iacobus, crevit & virtute; nam tantæ fuit abstinentiæ, ut vino, carne, cæterisq; delicijs abstineret, ac insuper nudis pedibus incederet; præcipuè tamen castitatis fuit amantissimus, quare S. Epiphanius (h) scribit, eum semper Virginem permansisse. Cùm autem Christus novam legem fundaret, doctrinamq; suam Orbi manifestaret, Sanctum Iacobum, sicut & alios undecim elegit, quem & Apostolum nominavit. In Apostolatu existens exemplo sui Magistri Christi, (i) sicut & cæteri omnes Apostoli, vota pertinentia ad perfe-

ctionis

(c) *S. Ignatius Epist: 2. ad Ioannem.*

(d) *S. Chrysost: Homil: 5. in Matth:*

(e) *hæresi 78.*

(f) *S. Epiphan: hær: 29. & sequ: S. Antoninus, 3. p. tit: 31. c. 8.*

(g) *Idem hær: 78.*

(h) *hær: 78.*

(i) *S. August: 17. civit: c. 4. S. Thom:*

ctionis statum emisit, hoc est vota Religiosa, castitatem, paupertatem & Christo obedientiam, simulq; sicut & cæteri omnes Apostoli, in ultima Cœna fuit à Christo ordinatus Sacerdos. Cùm autem ad Sacratissimam Cœnam, audisset Sanctus Iacobus Christum Dominum, de proxima Passione sua discurrentem, tum quoq; de futura Resurrectione sua, de Sepulchro, statim (k) voto obstrinxit se non comesturum panem, ab illa hora, quâ biberat Calicem Domini, donec videret Iesum resurgentem à mortuis, quod votum & jejunium in omni abstinentia ac perseverantia, expectando Resurgentem de Sepulchro Christum, adimplevit. Postquam autem Christus Dominus finivisset opus Redemptionis humanæ in Cruce, (l) & de ligno Crucis depositus fuisset, & Maria Mater ejus desolata, in gremio suo lachrymantibus oculis illum intuita fuisset, convenerunt varii fideles & cognati Domini, uti Ioannes, Ioseph ab Arimathæa, Nicodemus & tres Mariæ, partim ad consolandam Mariam Matrem ejus, partim ad sepeliendum Dominum, inter quos etiam Sanctus Noster Apostolus Iacobus, dictus Iustus, extra modum flens & lachrymans comparuit. Dum igitur ad genua procumbens, Corpus Christi vidisset, qualiter ille nuper speciosissimus, nunc autem

2. 2. q. 88. ar: 4. ad 3. Alvarus Pelagius lib: 2. de planctu Ecclesiæ c. 9. Hieronymus Platus lib: 2. de bono statu Relig: c. 20. & alij plurimi.

(k) *S. Hieronymus de Iacobo.*

(l) *Petrus Lüll in vita V. Alveræ par: 2. cap: 16. ex lib: antiquissimo, Cathalogus Hierosolym: dicto, quam traditionem sequitur M. Iacobus Radlinski S. Th: Doctor, eamque confirmat multis*

rationibus in præfato lib: Sepulturæ Viventium.

tem immutatus, & propter innumera vulnera deformatus esset, utriusq; dolor & mæror, videlicet Mariæ Matris, & Sancti Iacobi multiplicatus est; siquidem, dum Maria oculos suos aperuisset, & in Iacobum conjecisset, mox agnovit, quòd facies dilecti sui Filij Iesu, faciei Iacobi similis esset; nunc autem propter multiplicia verbera & copiosum sanguinem, ex integro sit dissimilis: ob quod mæror cordis ejus, dolor & compassio renovata fuit. Post aliquot autem suspiria ad se rediens, nuntiavit Iacobo suo cognato ex instinctu Spiritûs Sancti, quòd ille Hierosolymis Custos Sepulchri sui Filij, Prædicator & Episcopus Fidelium, Propagator Passionis, & Mortis Christi esse debeat: ne autem hujus obliviscatur, sed semper in recenti memoria hæc retineat, intinxit digitum suum in pretiosissimum Sanguinem, qui in ejus vestes, dum Christus in Cruce penderet, guttatim decidit, vel potiùs defluxit, tum etiam in illud vulnus, quod Christo ad latus factum erat, in veste alba ac linea ad pectus Iacobo Crucem expressit: juxta formam & figuram illius, in qua Christus affixus fuit. Postea verò adhuc alteram parvulam Crucem super primam signavit, in memoriam illius inscriptionis, quam Pilatus super Crucem affigi jussit, quæ fuit: Iesus Nazarenus Rex Iudæorum.

rum. Sic tibi etiam hæc Crux, (ajebat Maria) Iacobe, æternum memoriale amaræ & innocentis mortis mei dilecti Filij; hæc enim Crux est præstantissima medicina contra serpentinos morsus sathanæ, contra adulatorios sermones fallaciter decipientis mundi, contra omne mortale venenum peccatorum: hanc Crucem pone in cordis tui aulam, & per veram fidem & amorem, sine ibi radicari; nam qui illam in pectore portat vincit mundum: è contra qui illam peccatis maculat, hic de novo Christum crucifigit, & per ea sacrum Sanguinem Christi coinquinat; (prouti superior parvula Crux trangressoribus pro admonitione posita est) ejusmodi autem crucifixio multò amarior est primâ, quam Iudæi & Ethnici illi intulerunt. Hæc duplex Crux, sit etiam tibi assidua recordatio tuæ cum Christo conjunctionis in patiendo, omnes adversitates in patientia tolerando, tuam carnem castigando, & in servitutem spiritûs cogendo; hanc inquam duplicem Crucem portare debes in signum, quia tu & omnes tui sequaces, etiam mundo crucifixi, ex integro mortui esse debent; Christus verò Crucifixus solùm in ijs vivit.

Accepta pretiosissimo Sanguine exarata Cruce Sanctus Iacobus à Maria, expectavit firma fide

fide Resurrectionem Christi de Sepulchro jejunus, quam firmam fidem & ardens desiderium ipsius, Christus de Sepulchro Resurgens, triumphaliter coronavit. (m) Nam apparuit ei, & tulit panem, benedixit, fregit & dedit Iacobo Iusto, dicens ei: Frater mi, comede panem tuum, quia resurrexit Filius hominis à dormientibus: ubi autem post Resurrectionem suam Christus Iacobo apparuit, (n) ibi in honorem ipsius Christiani postmodum Ecclesiam erexerunt. Sed sicut Resurgens Christus Sanctum Iacobum Iustum multis benedictionibus donavit, ita etiam (o) & ascendens in Cœlum omnem ipsi simul cum Ioanne & Petro scientiam tradidit, quam deinde illi cæteris Apostolis communicarunt, hi autem septuaginta Discipulis. Insuper (p) vadens ad Patrem Christus, Filios Matris Ecclesiæ Sancto Iacobo commendavit, & eundem Sanctæ Civitatis Episcopum constitui jussit. Postquam autem Christus Dominus ascendisset in Cœlum, (q) Sanctus Iacobus electus & institutus est Episcopus Hierosolymæ, à Sancto Petro, Ioanne, & Iacobo Fratribus. Vnde (r) Hesichius Sanctum Iacobum vocat novæ Hierusalem summum Ducem, Sacerdotum Principem, Apostolorum verticem, in lampadibus resplendentem, & inter astra maximè illustrem.

(m) *S. Hieronymus in Iacobo.*

(n) *Adrichomius in descript: Hierosol: num: 218.*

(o) *Clemens Alex: lib: 7. Hypotypos.*

(p) *S. Hieron: in cap: 1. Epist: ad Galat:*

(q) *Anacl: Papa Epist: ad Episcop: Italiæ.*

(r) *In orat: quæ extat apud Phot: in Biblioth: num: 833.*

strem. Succeſsit ergo Iacobus Christo, quaſi Frater Fratri, ut illi ſemen ſuſcitaret, quod proinde Christianorum non Iacobitarum nomen ſortiretur. Factus Epiſcopus (s) Clericos Regulares in Eccleſia Hieroſolymitana instituit, quos & vitæ Apoſtolicæ normam edocuit, ſimulq; penes illam Eccleſiam, quam Apoſtoli ex cœnaculo in Domum orationis conſecraſſe traduntur, ſimul cum ipſis cohabitavit. (t) Vt autem ſibi conciliaret Iudæos, quorum proprius Paſtor fuit, & eoſdem ad Christum traduceret, ſervavit legem Moyſis, licet jam mortuam, ſed nondum mortiferam, quin & Sancto Paulo eandem ſervandi Auctor fuit, ut eum Iudæis acceptum faceret & conciliaret, itaq; ſaluti Pauli, communiq; paci & concordiæ conſuleret. Tantæ autem fuit Sanctus hic Apoſtolus dignitatis, ut eum Sanctus Paulus poſt Sanctum Petrum, Eccleſiæ & Fidei columnam nuncuparet, ubi quoq; aſſerit ſe cum Sancto Iacobo ſuum contuliſſe Evangelium, ne in vacuum currerem, inquit, aut cucurriſſem. Vnde & Petrus è carcere per Angelum liberatus, illicò hujus rei nuntium miſit ad Iacobum. Hinc & Iudas ſcribit, & gloriatur ſe Fratrem Iacobi, & Mater ejus, etiamſi plures habuerit Filios eosq; Apoſtolos, à digniori tamen vocatur

(s) *Nakielſki lib: de Sacri antiq: cap: 1. & 2.*

(t) *Cornelio in proemio Commentar: in Epiſt: S. Iacobi, fol: 6.*

(u) Cornel. ut suprà fol: 6. & 5.

tur Mater Iacobi. (u) Vitæ etiam adeò sublimis & exemplaris erat, ut videretur esse speculum, & Imago Cœli vitæq; Cœlestis, quam agunt Angeli & Sancti in Paradiso. Hinc perdius & pernox in oratione cum Deo & Angelis versabatur, & in ea quasi in Cœlum rapiebatur ad Deum pleno mentis ascensu. Quare ex frequenti & continua oratione non tantùm genua habebat callosa, sed & frontem, utpote, quam ex profunda humilitate & reverentia terræ affigebat. Tantam autem efficaciam fuisse orationis ipsius, ut Sanctus Epiphanius scribat: Sanctum Iacobum urgente magna siccitate, elevantem ad Cœlum manus, quasi alterum Moysen Deum precatum esse, ac mox pluviam impetrasse. Eminebat & alijs virtutibus Sanctus Pater, (w) ut Christi vultus moresq; Christi in eo, quasi in vivo antitypo resplenderent. Quocirca populus fimbriam vestimenti ejus, certatim cupiebat attingere, & fideles post Christi in Cœlum ascensum è varijs Provincijs certatim Hierosolymam pergebant, Sancti Iacobi vivendi causâ, ut in eo viderent & intuerentur Christum, ob miram, quam cum eo habebat per omnia similitudinem. Ita Sanctus Ignatius Martyr scribit se cogitare, pergere Hierosolymam, ut videat

hæresi 78.

(w) Cornel: fol: 6. ut suprà.

Epist: ad S. Ioannem Evang:

deat S. Iacobum, quasi vivam Christi effigiem. Hinc etiam Iudas, Christum proditurus Iudæis, eis osculi signum dedit, ut eo Christum agnoscerent, ne pro eo Iacobum Christi simillimum comprehenderent.

His & alijs cùm eminuisset virtutibus Sanctus Pater, (x) meruit primus Missæ Sacrificium solenniter celebrare, cujus etiam celebrandi formam & ritum præscripsit; cui Sanctus (y) Stephanus, Sancti Iacobi & Ecclesiæ Hierosolymitanæ Diaconus ministravit. Insuper virtus & sanctimonia Iacobi meruit sibi, (z) concessum esse ingredi Sancta Sanctorum, quod ex lege Dei soli Pontifici licebat, idq; semel tantùm in anno, nimirum in festo expiationis. (a) Interfuit etiam in primo Concilio Hierosolymitano, primusq; post Sanctum Petrum, utpote Hierosolymæ Episcopus, sententiam dixit, nimirum: Christianos non obligari lege & legalibus Moysis. Vnde ad Episcopalis dignitatis ornamentum, Sanctus Iacobus præter hoc, quòd utebatur lineo Ephod, quod erat cum strictis manicis, ut testatur Sanctus Hieronymus, in formamq; Rochetti; (b) tum præter stolam ejusdem Sancti Apostoli, quam diutissimè conservatam esse, gestavit (c) laminam auream, quasi insigne, tam Pontificatûs, quàm regni Christi,

(x) *Sexta Synod: de cō. secr: dist: 1. c. Iacobus.*

(y) *S. Ignatius Epist: ad Heronem; & Martyrol: viola Sanctorū 3. Aug:*

(z) *S. Hieron: in Catalog: Script: Eccl: in Iacob. S. Epiphan: har: 29.*

(a) *Cornel: ut suprà fol: 7.*

(b) *Spondanus Annal: Eccl: Anno 34. n. 87.*

(c) *Cornel: ut suprà fol: 7.*

sti, instar Melchisedec, indeq; nunc Episcopos gestare mitram pretiosam, eo quòd regali fungantur Sacerdotio, tanquam Christi Reges & Sacerdotes. Quantæ autem fuerit sapientiæ Sanctus Pater, patet tum ex ejus Epistola, de qua scribit Rabanus: (d) S. Iacobum hâc Epistolâ, legentibus immensam scientiæ claritatem infundere, ea enim complectitur omnem Christianæ doctrinæ & vitæ perfectionem, tum ex ejus sacra Liturgia, (e) Ecclesiæ Hierosolymitanæ tradita, quam non apocryphi cujuspiam, sed ipsius Sancti Iacobi esse patet, tum ex sensu & consensu Doctorum, & Fidelium in Concilio Trullensi, tum ex nostro S. Cyrillo Hierosolymæ Episcopo, qui catechesi 5. orationes mystogogicas habet acceptas ex Missa Sancti Iacobi. (f) Scripsit præter hoc Sanctus Iacobus Constitutionem de Confessoribus, item Constitutionem de Virginibus, item tertiam Constitutionem de Vespertina Oratione, quæ Constitutiones extant apud Ioannem Zonaram. (g) Matthæi autem Evangelium ex Hebræo in Græcum, quasi universalius idioma transtulit. Quantus autem fuerit Sanctus Pater Defensor Immaculatæ Conceptionis Beatissimæ Virginis, patet ex ejus sacra Liturgia, ubi eandem Sanctissimam Virginem non semel, sed aliquo-

Lib. de universo cap. 5.

(e) *Baronius Annal. Eccl. Anno 63. nu. 17.*

(f) *Zonara in Comment. in Canon. Apostolor. fol. 1028 & 1034.*

(g) *S. Athanas. in Synopsi.*

liquoties immaculatè conceptam affirmat; (h) & exinde, quòd festum ipsius Immaculatæ Conceptionis in Ecclesia Hierosolymitana celebraverit. In prædicatione Verbi Divini infatigabilis fuit, ita, (i) ut quotquot crediderunt, Sancti Iacobi prædicatione & hortatu crediderunt; in quibus prædicationibus suos Iudæos, (k) futuram Vrbis Hierosolymitanæ subversionem edocuit, & ut tempus pœnitentiæ habeant, eandem prædixit. Ergo cùm pleriq; etiam ex Principibus viris, fidem essent amplexati, nonnulli ex Scribis, Pharisæis & reliquis Iudæis tumultuari, atq; vociferari cœperunt, quòd universus ferè populus Iesum existimabat verum esse Christum. Qui etiam ad Iacobum profecti, sic eum compellarunt: Te obnixè oramus, ut quoniam populus fide in Iesum, perinde ac si verè esset Christus collata, in gravem errorem delapsus est, eum ab hac opinione avoces, atq; ut omnes etiam, qui hodie ad festum diem Paschatis celebrandum convenerunt, de Iesu verè rectèq; erudias, te etiam atq; etiam obtestamur. Tibi enim omnes fidem adhibemus, nec nos solùm, sed tota etiam multitudo perhibet testimonium, quòd Iustus sis, quòdq; Personam non respicias. Persuadeas igitur populo de Iesu, ne erret: etenim

(h) Kochanowski, in lib: nov: Immacul: Concept: Dec: 2 resol: 1. fol: 146.

(i) Eusebius lib: 2. Hist: c. 22.

(k) Haymon Hist: sacr: lib: 3. c. 8.

& universus populus, & nos omnes tibi cre-dimus. Idcirco statue te ipsum super pinnam templi, ut de superiori loco cunctis prospicuus sis, atq; adeò tua verba à tota multitudine facilè & sine impedimento audiantur. Propter festum namq; Paschatis non solùm omnes Iudæorum tribus, sed multi etiam ex Gentibus convenerant. Proinde Scribæ & Pharisæi, quos suprà posuimus, Iacobo suprà pinnam templi collocato, cœperunt exclamare & dicere: O Iuste! cui meritò omnes debemus fidem adjungere: quoniam populus, Iesum Crucifixum imitando, aberravit; tu idcirco nobis commonstra, quod sit ostium Iesu Crucifixi? qui clara voce sic respondit: Quid me interrogatis de Iesu Filio hominis? ipse sedet in Cœlo à dextris magnæ virtutis & potentiæ Dei, & in nubibus Cœli venturus est. Hæc expressa & publica Christi professio, causa fuit ejus martyrij, quod proinde evidens fuit & illustre; subdit enim Eusebius: Atq; cùm multi plenè essent persuasi, & ob Iacobi testimonium Deum laudibus in Cœlum ferrent, dicerentq; Osanna Filio David; Scribæ autem & Pharisæi de integro cœperunt primùm ita inter se colloqui: Malè certè, & infeliciter accidit, ut istud testimonium nostrâ operâ Iesu tribueretur: at conscensis gradi-
bus

bus illum deijciamus præcipitem, ut homines inde perterrefacti, nullam fidem ejus doctrinæ adhibeant; deinde clamare & dicere: O! o! Iustus etiam erravit! Tollamus de medio Iustum, quoniam nobis molestiæ est & incommodo. Tandem Iudæi Sanctum Iacobum præcipitem dederunt, & quoniam dejectus in præceps, non statim mortem obijt, sed vultu sursum sublato, genibusq; flexis dixit: Obsecro Domine Pater da illis veniam, nesciunt enim quid faciunt; cœperunt saxa in eum conijcere; Cùmq; lapidibus illum obruerent, unus ex Sacerdotibus ex Filijs Rechab, filij Rechabim, qui sunt Ieremiæ testimonio commendati, voce emissa contentiùs dixit: Quid agitis! Iustus pro vobis Deum deprecatur! Attamen unus ex illis, qui fullo erat, arrepto vecte, quo vestes solebat premere, in caput Iusti impegit, ita vitam, beato & felici martyrij cruciatu affectus, afflictusq; amisit, (l) Anno à Nativitate Christi sexagesimo tertio, à Passione & Ascensione vigesimo nono, cum totidem viginti novem annis Ecclesiæ Hierosolymitanæ & Clero Regulari Hierosolymitano præfuisset. Corpus ejus in loco propè templum, ubi columella ejus nomine inscripta diu manebat, tumulo mandatum est. (m) Post mortem autem

(l) Cornelio in Proem: Comment in Epist: S. Iacobi fol: 7.

(m) Iosepho lib: 20. An.

tiqu: l. 16. & S. Hieronym: in Iacob.

tem & martyrium Sancti Iacobi, tantam fuisse ejus sanctitatis & dignitatis apud Iudæos opinionem, ut propter S. Iacobi necem, creditum fuerat, eversam à Tito fuisse Hierosolymam. Ex quo DEO Omnipotenti, & Filio ejus Vnigenito, qui in Hierosolymitano Sepulchro dignatus est sepeliri, unà cum Sancto Spiritu omnis honor, virtus & gloria, Amen.



VITA
S. MATTHIÆ
Episcopi Hierosolymitani.

30. Ianuarij.

SAnctus Matthias (a) natione Hebræus, qui (b) postposito sæculo, numero Clericorum Regularium Sanctissimi Sepulchri adscriptus. Hic (c) à Sancto Zachæo Episcopo Hierosolymitano in Presbyterum ordinatus cum alijs Clericis Regularibus Ecclesiæ Hierosolymitanæ; tantæ sanctitatis fuit, ut post Ioannem dignus inventus sit, ad Cathedram Sancti Iacobi promoveri; eratq; in numero Episcoporum Ecclesiæ Hierosolymitanæ octavus. Epi-

(a) *Eusebius lib: 4. cap. 5*

(b) *Ioannes Le Paige in Bibliothec: Præmonstr: fol: 136.*

(c) *Michaël Præpositg Wyszogrod: serm: de S. Zachæo ex lib: tabulæ Hierosolymitana dicto.*

Episcopus Hierosolymitanus factus, Cœnaculum Domini ampliasse fertur, in quo cùm Clericis Regularibus Hierosolymitanæ Ecclesiæ die noctéq; orationi incumbebat. Cùm autem magnæ calumniæ irrogatæ essent Christianis operâ Iudæorum, plurimùm hic Sanctus Præsul, contra eosdem decertavit. Tum quoq; cùm Adamitæ turpidines suas jactarent, & in suis congressibus nefanda perpetrarent, Sanctus hic & castissimus Præsul, abominabilem hanc sectam damnavit. Cùm verò Adrianus Imperator Hierosolymam venisset, & magnam cladem Hierosolymæ intulisset, (d) ad eundem Imperatorem Sanctus Præsul adductus, à quo, ut Solis simulacrum veneraretur, sollicitatus; qui cùm renueret, unumq; Deum confessus esset, Tyrannus eundem Sanctum Episcopum, ad carceres, vincula, flagella destinavit, quæ tamen Vir Sanctus patientissimè sustinuit. Hic Sanctus Præsul tantæ admirationis & fidei fuit, ut ad comprobandam Christi doctrinæ veritatem, suis orationibus montes transferre, eoq; miraculo magnum populum ad fidem convertisse dicatur. Cùm autem Adrianus Imperator, in loco Sepulchri Iesu simulacrum statuisset, locumq; Sepulturæ Iesu terrâ & pulvere obruisset; pari modo Crucem Salvatoris Iesu profundè in terra ab-

(d) *Martyrol: Roman: 30. Ianuarij.*

abſcondiſſet, & in eodem locō ſimulacrum Veneris poſuiſſet, ut Chriſtiani loco Chriſti videantur adorare Venerem; Sanctus Epiſcopus quotidie prædicta loca obambulabat, eadem amariſsimo fletu rigabat, dolendo maximè contemptum Redemptoris. Dicebat, prædicta loca ſacra videns: O Ieſu Redemptor noſter! qui in iſto loco pro ſalute humani generis, in hac abſcondita in loco iſto Cruce pependiſti, & Sanguinem tuum pretioſum effudiſti, qui hanc terram Sanguine tuo irrigaſti, cur permittis in terra hac, & in loco tuo Sanguine ſacrato, hoc diaboli ſimulacrum ſtare? Contere Chriſte fortitudine tua omnia diaboli opera, ut te ſolum adoremus, te veneremur, & in tua Cruce gloriemur. Similiter ad locum Sepulchri veniens & flens orabat: Chriſte Salvator! qui in hoc Sepulchro ſepeliri voluiſti, modò autem & ipſum hoc glorioſum Reſurrectione tua Sepulchrum, terrâ obrui permiſiſti, ne quæſo Domine, oblivioni detur locus Angelorum, propitiatorium peccatorum, Corporis tui receptaculum, meta & finis Paſsionis tuæ. Deijce Domine diabolum ad inferos, & ad ignem devorantem, qui præparatus eſt diabolo, & Angelis ejus: quas orationes Sanctus Epiſcopus ad Deum cum fletu & amaritudine emittebat.

Tan-

Tandem (e) in dira persecutione existens, parvo tempore Hierosolymitanam regendo Ecclesiam, migravit ad Dominum. (f) Cujus commemoratio in Martyrologio Romano die 30. Ianuarij celebratur: Qua die Ordo noster ejusdem Sancti Episcopi festum celebrat. Ex quo DEO Omnipotenti, & Filio ejus Vnigenito, qui in Hierosolymitano Sepulchro dignatus est sepeliri, unà cum Sancto Spiritu, omnis honor, virtus & gloria, Amen.

(e) Baroniꝰ Ann: Eccles: Anno 113.

(f) Martyrol: Roman: 30. Ianuarij.



VITA
S. SIMEONIS
Episcopi & Martyris.

18. Februarij

SAnctus Simeon genere Hebræus, Filius (a) Cleophæ, qui Frater fuerat Ioseph, Patris putatij Iesu, & Mariæ, quæ à marito suo dicebatur Cleophæ. Hic Sanctus (b) propinquus Iesu Christi fuit, ideoq; à gloriosissima Deipara summopere adoptatus, quem etiam quoadusq; vixit Maria, Hierosolymâ non

(a) Baroniꝰ in app: n. 67

(b) Michaël Praepositus Wyszograd: serm: de S. Simeone ex lib: tabula Hierosolym: dicto.

est passa pergere. Itaq; cùm remaneret Hierosolymis, Deiparæ Virgini familiaris fuit, sæpeq; ei in orationibus alijsq; cœlestib⁹ contemplationibus inserviebat, in angustijs consolabatur, quem etiam Deipara amore sancto prosequebatur. Cùm autem ad Ecclesiam Hierosolymitanam maneret, à Sancto Iacobo Hierosolymitano Episcopo in Diaconum fuit Ecclesiæ Hierosolymitanæ ordinatus, penes quam Ecclesiam prædicationis officio fungebatur, cum tanto animarum fructu, ut ad aliquot millia hominum ad Christi fidem converteret. Adfuit etiam dum Deipara sepeliretur, cujus tumbam multis lachrymis proluit. Quantum autem Sanctus Simeon, pro Christo, fide, & Ecclesia laboraverit, patet tum ex eo, quòd contra sequaces Simonis Magi plurimùm certaverit, tum Resurrectionem veram de Sepulchro, contra Iudæos, Christum furto sublatum obtrectantes defenderit, à quibus multa passus fuit. Dono lachrymarum excelluit; quare multoties per vitam suam lapidem Sepulchri Iesu lachrymis suis rigavit, contemplationi deditus. Cùm verò Sanctus Patriarcha Iacobus, primus Hierosolymitanæ Ecclesiæ Episcopus, gloriosa morte & martyrio pro Christo obiret, (c) Sanctus Simeon Filius Cleophæ, qui Avunculus Christi

(c) Hegesipp. apud Baron: Anno 109. n. 4

sti fuit, Episcopus creatus: quem omnes Discipuli, quoniam Domini consobrinus erat, secundo loco suffragijs illi administrationi præfecerunt. Postquam autem in Cathedra Sancti Iacobi Successor esset, Sancti sui Patris Iacobi Iusti Aposli, vestem lineam, crucem, & laminam auream, quâ utebatur Sanctus Pater accepit, & festum Immaculatæ Conceptionis, (memor gratiarum Beatissimæ Virginis) in Ecclesia Hierosolymitana celebravit. Memor insuper fuit, & Religionis Clericorum Regularium Ecclesiæ Hierosolymitanæ, de quorum numero Sanctus Episcopus in Ecclesia Hierosolymitana officio antè Diaconatûs & prædicationis functus erat, ipsis primam Regulam & Constitutiones præscripsit, ut testatur Dagobertus, dum ait: (d) Sanctus Simeon Pater noster, qui Apostolo Iacobo succelsit, & pro fide crucifixus est, varia suis Religiosis Clericis, ex Evangelio & Actibus Apostolorum extracta documenta communicavit, quæ ad invicem ponendo, auctoritate sua confirmavit, ut ab hoc Ordine adinstar regulæ observentur. Hinc illa, tanquam pium legatum, suis Discipulis reliquit, quæ etiam usq; ad tempora Patriarchæ Cyrilli retinebantur. Cujus temporibus, Sanctus Hieronymus, hîc in terra sancta habitavit, cui, ut traditiones

(d) *Dagobert Patriarcha apud Petrũ Lûll in lib: Mausol: S. Iacob c. 30.*

ditiones noſtræ ferunt, Sanctus Auguſtinus in Europa tunc morans, ſcripſit: quærens de noſtra Regula & modo vivendi, qui etiam ipſi communicatus eſt. Sub hoc Sancto Pontifice, regimen Ordinis noſtri & Eccleſiæ Hieroſolymitanæ tenente, (e) Deus per quendam Ieſum, Filium Anani plebeium & ruſticum, venturam cladem Vrbi Hieroſolymitanæ voluit innoteſcere, ut de patratis facinoribus populus ageret pœnitentiam. Qui in ſumma Civitatis pace atq; opulentia, cùm ad feſtum diem veniſſet, repentè clamare cœpit: Vox ab Oriente: Vox ab Occidente: Vox à quatuor ventis: vox in Hieroſolymam & templum: vox in maritos novos, novasq; nuptas: vox in omnem hunc populum! Atq; hæc interdiu noctuquè clamitans, omnes Civitatis vicos circuibat. Nonnulli autem Virorum inſignium, adverſum omen indignè ferentes, corripiunt hominem, multisq; verberibus afficiunt. Ille autem neq; pro ſe, nec ad eos, qui ſe mulctabant ſecretò quidquam locutus, eadem quæ priùs vociferans perſeverabat. Magiſtratus autem rati, quod erat verum, magis Divinum eſſe hominis motum, ducunt eum ad Romanum Præfectum: ubi plagis usq; ad oſſa laceratus, neq; ſupplex cuiquam fuit, neq; lachrymavit, ſed ut poterat, in-

(e) *Ioſephus de bello Iudaico.*

inclinans maximè flebiliter vocem ad singulos ictus respondebat: væ, væ Hierosolymis! Albino autem interroganti, (is namq; Iudex erat) quis esset, vel unde ortus, aut cur ista diceret? non respondit. Non priùs autem cessavit à luctu miseræ Civitatis, donec eum Albinus furere judicatum dimisit. Ille autem ad belli usq; tempus, neq; adibat quemquam Civium, neq; loqui visus est, sed quotidie velut orationem quandam meditatus væ væ Hierosolymis quærebatur; sed neq; imprecatus est cuiquam, cùm in dies singulos mulctaretur, nec victum offerentibus benedicebat, sola verò responsio ad omne erat triste præsagium. Maximè autem diebus festis vociferabatur, idq; per annos septem & quinq; menses continuos faciens, neq; voce raucior fuit, neq; delassatus est, neq; obsidionis tempore, ipsa re perspectis augurijs ipse quievit; suprà murum enim circuiens iterum væ væ Civitati, ac templo, ac populo maxima voce clamitabat. Cùm verò ad extremum addidit, væ etiam mihi! lapis tormento missus eum statim peremit, animamq; adhuc illa omnia lugentem dimisit.

Sed non solùm hæc præsagia, venturæ cladis Vrbis Hierosolymitanæ, sub Sancto Simeone Episcopo fuerunt, sed & majora innotuerunt;

nam

nam præter hoc, quòd circùm aram, itemq; templum tantum lumen effulsit, ut clarissimus dies putaretur; tum præter, hoc quòd etiam bos, cùm ad hostiam duceretur, agnum in medio templi peperit. Orientalis autem porta interioris templi, cùm esset ænea atq; gravissima, & sub vesperam vix à viginti viris clauderetur, serisq; ferro vinctis obseraretur, pessulosq; altos haberet in saxeum limen demissos, uno lapide fabricatum, visa est noctis horâ sextâ spontè patescere; sed etiam visio quædam apparuit fidem excedens, & ante solis occasum, visi sunt per inane ferri currus totis regionibus, & armatæ acies tranantes nubila, & Civitati circumfusæ. Quare Sanctus Simeon videns tanta venturæ cladis in Hierosolymam præsagia, (f) memor vaticinij à Domino in Evangelio prædicti, relictis Hierosolymis, cum Clero Regulari Ecclesiæ Hierosolymitanæ, cui præerat Episcopus, ac cum alijs Christi fidelibus in exteriorem Provinciam recessit, atq; majori ex parte (g) Pellam Civitatem quandam Decapolis, quæ in Evangelio scripta habetur, propè Batanæam & Basanitidem regionem incoluit. At non tantùm ipsum Sanctum Simeonem, & cæteros, quibus præerat Episcopus, liberos fuisse foras egressos, verùm etiam Ecclesiæ Hierosolymitanæ supellectilia

(f) *Baronius Annal: Eccl: Anno 68. n. 48. 51. 52.*

(g) *S. Epiphan: hær: 30.*

ctilia

ctilia Sanctus Præsul in integro servavit, ac præcipuè Cathedram Sancti Patris sui Iacobi, tum stolam ejusdem Sancti Apostoli, quas tam Cathedram, quàm stolam Sancti Patris diutissimè conservatas esse in tuto collocavit. Postquàm autem Sanctus Simeon, his & alijs in Ecclesia Dei fractus esset laboribus, (h) Anno à Nativitate Christi centesimo nono, cum Trajanus ageret in Imperio annum decimum, sub quo & privatim & publicè per Vrbes, universis insurgentibus populis, antiquitùs traditum est, ingentem contra Christianos concitatam fuisse persecutionem, maximè verò in Iudæa, quicunq; ex genere David orti essent, comprehendi jussi sunt; quidam ex numero perversæ sectæ Iudaicæ, Sanctum Simeonem Episcopum, non modo ex Davidis stirpe editum, verùm etiam ut Christianum, supremumq; illorum Episcopum in judicium adduxerunt. Sanctus autem Episcopus, dum Attico viro Consulari ad Tribunal sisteretur, & quòd ex Divina Domini progenie genus duceret, malitiosè accusaretur; primùm acerbas plagas multis diebus perferre cogitur, adeò, ut cùm omnes, qui in Concilio aderant, tum ipse Consularis supra modum miraretur, quo pacto, cùm esset centum & viginti annos natus, talem & tam acerbum plagarum

(h) Hegesippus.

garum cruciatum ſustinuerit? Quibus rebus confectis, ad extremum non diſsimilem vitæ exitum à Domini Paſsione ſubijt; mandatum enim erat, ut in Crucem ageretur. Cujus Sancti feſtum Eccleſia univerſalis, ac Ordo noſter celebrat die 18. Februarij. Ex quo DEO Omnipotenti, & Filio ejus Vnigenito, qui in Hieroſolymitano Sepulchro dignatus eſt ſepeliri, unà cum Sancto Spiritu, omnis honor, virtus & gloria, Amen.



VITA S. ZAMBDÆ *Epiſcopi Hieroſolymitani.*

19. Februar:

SAnctus Zambdas poſt Hymenæum ex Canonico Regulari Sanctiſsimi Sepulchri, trigeſimus octavus Epiſcopus Hieroſolymitanus, Anno Chriſti 296. ad Cathedram Hieroſolymitanam aſſumptus. Hic Sanctus Præſul maximi laboris fuit in Eccleſia; (a) cùm enim Thebæorum legio, quæ ſex millia ſexcentos ſexaginta & ſex viros validos animis, & inſtructos

(a) *Baronio Annal: Eccl: Anno 297. n. 5.*

ſtructos armis, antiquorum Romanorum habebat exemplo, in hibernis eſſet in Palæſtina, ubi ad Parthorum atq; Perſarum tumultus comprimendos cum alijs legionibus in Syria agentibus præſto eſſet; tantus igitur & tam magnus populus à Sancto Zambda fidem Chriſtianam edoctus, (b) quibus Sanctus Præſul indeſinenter prædicabat, donec eoſdem fidem Chriſtianam edocuiſſet. Tandem cùm baptizaſſet eos, ſpiritu Prophetico plenus Sanctus Præſul, pro Chriſto & fide ijſdem mortem ſubire, ſanguinem effundere prædixit, ſimulq; admonuit, ut fidem Chriſti, quam in baptiſmo ſuſceperunt non deſerant, tali, ut ſcribitur, admonitione: Viri Senatorij! Chriſtus Ieſus, verus Deus & Homo, paſſus eſt pro ſalute noſtra in Cruce, & tertia die reſurrexit de ſepulchro, obſecro vos per eandem Crucem & Paſsionem, ut fidem Chriſti non deſeratis. Fides enim hæc eſt, in qua ſola, Dei benedictiones in animam deſcendunt; fides hæc eſt, quæ vos juſtificat; fides hæc, in qua ſola ſalvabimur. Mementote impreſsi characteris in animam veſtram, ut illum non deleatis prava cum impijs converſatione; brevis admodùm eſt hæc vita, poſtquam corona manet aterna: Cui omnis exercitus reſpondebat, amen. Quantum autem effecerit ſua prædi-

(b) *Michàël Trapoſitowyſzogr: ſerm: de S. Zambda.*

F ca-

(c) *Breviar: Rom: die 22. Septembris.* catione S. Zambdas? patet, quòd (c) tota prædicta Thebæorum legio pro Christo & fide, sacrificia Idolorum spernendo, memor verborum Sancti Zambdæ, hortatore Mauritio, ab exercitu Maximiani Imperatoris trucidata, & martyrio coronata sit. Post quorum martyrium Sanctus Præsul, exacto in Cathedra Hierosolymitana biennio, migravit ad Dominum. Cujus (d) Sancti commemoratio in Martyrologio Romano celebratur die 19. Februarij; quâ die etiam Ordo noster ejusdem Sancti festum celebrat. Ex quo DEO Omnipotenti, & Filio ejus Vnigenito, qui in Hierosolymitano Sepulchro dignatus est sepeliri, unà cum Sancto Spiritu, omnis honor, virtus & gloria, Amen.

(d) *Martyrol: Rom: 19. Februar:*



VITA
S. MACARIJ Episcopi Hierosolymitani.

10. Martij.

(a) *Baronio Annal: Eccl: Anno 312. n. 112.*

SAnctus (a) Macarius, post Hermonem Hierosolymorum Episcopum, Anno Christi trecentesimo duodecimo ad Cathedram Hieroso-

Hierosolymitanam eligitur, qui (b) ob beatam vivendi rationem & multiplicia bona, quibus exornatus fuit, veré nomini suo respondit, nempe, ut Macarius diceretur. Hic Sanctus Præsul plurimùm laboravit pro Ecclesia; cùm enim (c) Arius Hæresiarcha sua disseminaret dogmata, & magnos tumultus in Ecclesia excitaret, propter quod ex Alexandrina Ecclesia ejectus & pulsus veniret in Palæstinam, ibiq; suam sectam doceret; Macarius zelosissimus pro fide Catholica Præsul, ne Christi oves abominabili adhærerent sectæ, statim adversabatur ipsi, & doctrinam hæreticam, ipsumq; Arium damnavit, & expresse contra eundem Arium, (d) æternum & antesæcularem, ejusdemq; honoris & ejusdem substantiæ cum Patre, Filium esse docuit. Quare etiam hic venerandus Antistes (e) in Concilio Nicæno, ad quod trecenti & octodecim convenerunt Episcopi, interfuit; in quo contra eosdem Arianos plurimùm decertavit; cui satis ad laudem, quòd hostes ipsi Catholicæ fidei Ariani, illum sibi præcipuè adversatum esse, suis ipsorum literis testati sunt, ob idq; adnumeratur (f) inter præclarissimos fidei Defensores, ceu planè dignus, qui sacris tabulis cum Sanctis Viris adscriberetur, & nomen ejus annuatim in Ecclesia audiretur. (g) In eodem

(b) *Theodoretq lib. 1. c. 3.*

(c) *Baroniq Anno 318. n. 50.*

(d) *Niceph: Calist: Eccl: Hist: lib: 8. cap: 9.*

(e) *Baroniq Anno 325. n. 21.*

(f) *S. Athanasius orat: 1. contra Arianos.*

(g) *Petrus Lüll in lib:*

Concilio non tantùm Arius eſt damnatus, verùm etiam certa Decreta, Clerum & vitam Religioſam profeſſam attingentia, per eundem Sanctum Macarium aliosq; Epiſcopos lata ſunt; ut videatur Sanctus Præſul non tantùm fidem Arianam damnare, verùm etiam vitam Religioſam novis ſtatutis exornare. (h) Sub hoc Sancto Pontifice Clerus Regularis Sanctiſsimi Sepulchri maximè propagari, & majora in dies incrementa ſumere cœpit; nam (i) Conſtantinus Imperator Hieroſolymis expurgatis locis ſacris, Sanctiſsimũ illũ ſalutaris Chriſti Reſurrectionis locum, nempe Sepulchrum, exiſtimavit ita à ſe illuſtrari debere, ut omnibus eximius & veneratione dignus videretur; idcirco (k) ad Sanctum Macarium, Hieroſolymitanæ Eccleſiæ Epiſcopum, literas ſcripſit, ut in conſtruenda Baſilica omnem curam & ſolicitudinem adhibeat, templumq; ipſum, non ſolùm ut reliquis omnibus templis, quæ ubiq; ſunt, pulchritudine antecellat, ſed etiam cæteræ ejus partes tales ſint, ut omnia templa, quæ in ſingulis Civitatibus primas tenent, hujus ædificij dignitate longè ſuperentur. (l) Scripſit idem Conſtantinus & alteram Epiſtolam ad Sanctum Macarium, ut in loco, qui propè quercum Mambre dicitur, in quo Abraam domicilium habuiſſe, & in quo Deum omnium

Mauſol: S. Iacobi cap: 11.

(h) *Nakielſki in lib: de Sacr: antiq: c. 7. fol: 57.*

(i) *Baronius Annal: Eccl: Anno 326. n. 27. & ſequẽ:*

(k) *Idem n. 31.*

(l) *Idem numẽ 67.*

um rectorem Abraamo apparuisse, tum cum eo sermonem contulisse, & ipsum Salvatorem, cum duobus Angelis seipsum clementer & benignè Abraamo ostendisse, cognoscitur; ut inquam impensis Constantini, curâ autem & diligentiâ Sancti Macarij, ædificetur in loco prædicto templum. Quantum autem Sanctus Præsul pro honore Sepulchri Iesu & Sanctorum laboraverit? exinde vel maximè patet, quòd eadem templa tempore brevissimo ædificata, & in cultum divinum consecrata noscuntur. (m) Ædificavit & alia celeberrima templa regiâ munificentiâ idem Imperator, in Matris suæ memoriam, nimirum in Bethleem, ubi Christus natus est, alterum in monte Calvariæ, tertium in vertice montis Oliveti, ubi idem Dominus ad Cœlos ascendit, & alia plura, quæ tamen curâ & diligentiâ Macarij steterunt, & quæ statim Sancto Macario, & Canonicis Regularibus Hierosolymitanæ Ecclesiæ possidenda donavit. Hoc Sancto Pontifice, regimen Ecclesiæ Hierosolymitanæ tenente, Sancta Helena magni Constantini Augusta Mater, Hierosolymam venit inquirendæ Sanctæ Crucis causâ, quam quia cum alijs duabus invenit, dubitare cœpit, quæ sit Christi? (n) Macarius Helenæ his præsens divino plenus spiritu, accipiendo cum omni reverentia Cru-

(m) *Idem num: 37.*

(n) *Ruffinus hist: lib: 1. cap: 17.*

Crucem Chrifti, exclamavit : Hæc eft vera Crux, in qua Dominus pro nobis mortuus eft! & ut cunctantem Reginam, atq; omnes pariter, qui aderant, certiores faciat: Afferte; inquit, huc totas, quæ repertæ funt Cruces, & quæ fit, quæ portaverit Dominum? nunc nobis aperiet Deus. Accidit autem Hierofolymis, primariam quandam loci illius fœminam, gravi ægritudine confectam, feminecem jacere; Macarius ingreffus cum Regina pariter & populis ad eam, quæ decumbebat, defixis genibus, hujufcemodi ad Deum precem profudit: Tu Domine, qui unigenitum Filium tuum, falutem generi humano per Pafsionem Crucis conferre dignatus es, & nunc in novifsimis temporibus adfpirafti in corde ancillæ tuæ perquirere lignum beatum, in quo falus noftra pependit; oftende evidenter ex his tribus, quæ Crux fuerit ad Dominicam gloriam, vel quæ exftiterit ad fervile fupplicium? ut hæc mulier, quæ femiviva decumbit, ftatim, ut eam lignum falutare contigerit, à mortis januis revocetur ad vitam. Et cùm ita Sanctus Macarius oraffet, adhibuit primò unam ex tribus, & nihil profecit, adhibuit fecundam, & ne fic quidem actum eft, ut verò admovit tertiam, repentè, adapertis oculis, mulier confurrexit, & ftabilitate virium recepta, alacrior multò, quàm cùm fana

fue-

fuerat, tota domo discurrere, & magnificare Dei potentiam cœpit. (o) Similiter etiam, cùm idem Sanctus Pontifex cuidam mortuo Crucem Sanctam imposuisset, per preces & orationes suas, & per virtutem Crucis Sanctæ, eundem ad vitam revocavit.

(o) *Berengosius de invention: S. Crucis lib: 2. 6. 7.*

Talibus & tantis, virtute Sanctæ Crucis, patratis miraculis, Sanctus Macarius, (p) ab Helena Imperatrice partem maximam omnium ejusdem Sanctæ Crucis accepit, quam thecis argenteis inclusam, in Ecclesia Hierosolymitana collocavit; (q) & quam idem Sanctus Præsul, Fidelibus Hierosolymam peregrinantibus, pietatis ergò, & mercede longi itineris, aliquid ex Dominicæ Crucis ligno, sibi impertiri obnixè petentibus distribuebat, sed operante divina virtute & jugi miraculo: quia quoties Sanctus Præsul Sanctam dividebat & distribuebat Crucem, toties Crux Sancta non minuebatur, sed multiplicabatur. Vnde Sanctus noster Cyrillus, tertius post Sanctum Macarium Hierosolymorum Episcopus, de eadem Sancta Cruce scribit; quinq; panes testantur, in quinq; millia multiplicati, lignum Crucis testatur ad hodiernum diem apud nos apparens, & apud eos, qui secundùm fidem ex illo capientes, hinc universum Orbem ferè jam repleverunt. (r) Postquam autem ta-

(p) *Baronius Anno 326. n. 49.*

(q) *Paulinus Epist. 11.*

Catech: 10.

(r) *Iacobus de Veragine in*

festo invent: S. Crucis. talia, virtute Crucis Sanctæ, miracula Deus per Macarium fecisset, Iudam Inventorem Crucis, Sanctus Præsul baptizavit, & Quiriacum appellavit Similiter etiam (s) Helenam Imperatricem ad Ordinem Sanctissimi Sepulchri suscepit, & habitu Canonissarum Regularium Sanctissimi Sepulchri investivit. Tandem longævus & plenus dierum, timens ne (t) se mortuo Eusebius Cæsareæ Episcopus, & Patrophilus Episcopus Scythopolitanus sectæ Arianæ fautores, tempus idoneum nacti, Hierosolymitanam Sedem alicui suæ opinioni dedito tribuerent, Maximum Ecclesiæ Sanctissimi Sepulchri Canonicum Regularem, in Episcopum Ecclesiæ Diospolitanæ, quæ (u) erat Canonicorum Regularium Sanctissimi Sepulchri, Patriarchæq; Hierosolymitano Suffraganea, (w) alio nomine Lidda appellata, ordinavit; ea intentione, ut post ipsum Ecclesiæ Hierosolymitanæ constitueretur Episcopus. His & alijs pro honore Dei fractus laboribus Sanctus Præsul, (x) cùm sedisset annos novemdecim, longævus & plenus Domini benedictionibus, cùm tot tantaq; à Deo per Constantinum Ecclesiæ Hierosolymitanæ, & universo Ordini Canonicorum Regularium Sanctissimi Sepulchri dona collata vidisset, reddidit in pace Deo spiritum, ejusq; (y) memoria jugi commemoratione, die an-

(s) *Petro Lüll in lib: Mausol: S. Iacobi cap: 11.*

(t) *Sozomenus lib: 2. c. 19.*

(u) *Tyrius de bello Sacr: lib: 24. c. 12.*

(w) *Niceph: Calist: Eccl: hist: lib: 8. cap: 9.*

(x) *Baronius Anno 331. n. 13.*

(y) *Martyrol: Rom: die 10. Martij.*

annua repetita, in universa Ecclesia, die decima Martij hactenus perseverat; qua etiam die Ordo noster festum ipsius celebrat. Ex quo Deo Omnipotenti, & Filio ejus Vnigenito, qui in Hierosolymitano Sepulchro dignatus est sepeliri, unà cum Sancto Spiritu omnis honor, virtus & gloria, Amen.



VITA
S. SOPHRONIJ Episcopi Hierosolymitani.

11. Martij.

SAnctus Sophronius (a) ex Civitate Damasco oriundus, fallacis mundi inconstantiam metuens, (b) ad eremum in Palæstina se contulit, & in cella seorsiva habitavit, in qua tum quieti, tum silentio, tum alijs virtutibus deditus, vitam Angelis similem duxit. Sancto Ioanni Elèemosynario, Alexandrino Episcopo familiaris fuit. (c) Vnde cùm quadam vice Sanctus Episcopus surgens vespere, accessit tristis & lachrymans, nullo verò audente rogare causam, cur esset tristis? Divinus, qui aderat

(a) *Baronius in notat: in Martyrolog: Rom: die 11. Martij.*

(b) *Baronius Annal: Eccl: Anno 613. n. 10.*

(c) *Ioannes Leontius.*

rat Sophronius: Quid est, inquit, Vir Divine, quòd te affecit molestia, & animæ ægritudine bonam tuam implevit animam? Ille autem miti ac leni voce: hodie, inquit, miserandus Ioannes, non ab aliquo ullam accepit mercedem, neq; ullum vel minimum piaculum potuit offerre Christo, pro multis & magnis suis delictis. Cùm itaq; Sanctus intellexisset Sophronius, quid sibi vellet, quod ab eo dictum fuerat; Te potiùs, inquit, lætari oportet, & non tristitiâ affici o beatissime Domine! quòd tibi commissum gregem feceris vivere in tanta pace, ut nullus de re aliqua cum vicino habeat controversiam, sed tanquam Angeli aliqui, absq; ulla lite & contentione vivant in terra. Cùm autem verum esse, quod dixerat, invenisset Vir mitissimus, statim fuit traductus ad animi lætitiam, & pro eo Deo egit gratias. In tanta apud Sanctos Viros cùm esset æstimatione Sophronius, exigentibus illius virtutibus factus Presbyter, & Catalogo Canonicorum Regularium Ecclesiæ Hierosolymitanæ adscriptus est. Postquam autem Sanctus Zacharias Patriarcha Hierosolymitanus, redux ex captivitate Persica cum ligno Sanctæ Crucis, vitâ functus esset, Sanctus Sophronius à Canonicis Regularibus Sanctissimi Sepulchri, in Patriarchatum eligitur, (d) & per vim ac violentiam

(d) *Sophron: Epist: ad Honorium.*

lentiam ad acceptandum hoc onus ab ijsdem. Canonicis Sanctissimi Sepulchri, ac universis Christi Fidelibus Sanctæ Civitatis Hierusalem cogitur. Quare Sanctus hic Patriarcha vehementer dolet in Epistola sua, (e) (quam per Leontium Diaconum & Canonicum Regularem Sanctissimi Sepulchri misit ad Honorium Papam, & Sergium Constantinopolitanum Episcopum) amissam Religiosam quietem; in hac etiam Epistola Sanctus Sophronius subnectit integram, perfectamq; fidei Catholicæ professionem, cum nominatim facta damnatione omniũ Hæresiarcharũ, (f) quibus, ac præcipuè Cyro Alexandrino Episcopo, Monothelitarum hæresis Auctori, summoperè adversatus est, egitq; apud Sergium Constantinopolitanum Episcopum, ut ejus tolleretur doctrina ex alijs decretis Synodalibus. Insuper ipsum Sergiũ, cùm esset lapsus in hæresim, (g) S. Sophronius admonuit, humilitate, qua Sanctũ Virũ decebat, ad ejus vestigia provolutus, Christi Dei passionibus vivificis, quæ omnem supplicationem continebant, commemoratis obtestans, ne vocem hæreticorum, olim probè à Sanctis Patribus Superioribus extinctam renovaret. Quare etiam idem Sanctus Patriarcha ad Honorium Romanum Pontificem, quem Sanctus Sophronius mirificè coluit, Stephanum (h) ex Canonico Regulari Sancti-

(e) *Idẽ ibid:*

(f) *Baroni9 Annal: Eccl: Anno 633. n. 9.*

(g) *Maxim9 in disp: cum Pyrrho.*

(h) *Idem Stephan9 in*

Concil: Rō: sub Martino sec: 2. tom: 3.

(i) Tyrig de bello sacro lib: 24. c. 12. ad calcē lib:

(k) Stephang in Concil: Rom: ut supr:

(l) Baronius Anno 633. num: 40.

ctissimi Sepulchri, Episcopum Ecclesiæ Dorensis, quæ Ecclesia solius (i) Patriarchæ Hierosolymitani jurisdictionem super se agnoscebat, Legatum suum misit, de cohibenda Cyri temeritate, unam prædicantis in Christo voluntatem. At quanta animi anxietate id fecerit Sanctus Sophronius? qui venit tunc missus ad Honorium Legatus, ipse testatus est his verbis: (k) zelo autem Dei & fiducia repletus Sophronius, duxit me indignum, & statuit in Sancto Calvariæ loco, & ibi alligavit me vinculis insolubilibus, dicens: Tu dabis rationem ipsi, qui propter nos secundùm carnem in hoc sancto loco spontè crucifixus est Deus, quando cum gloria in terribili ejus adventu judicaturus est vivos & mortuos, si distuleris & postposueris fidem ejus periclitantem; quanto citiùs ergo de finibus terræ, ad terminos ejus deambula, donec ad Apostolicam Sedem, ubi Orthodoxorum Patrum fundamenta existunt, pervenias. Cùm autem Stephanus, Sancti Sophronij Legatus, Romam venisset, (l) & ista per legationem à Sancto Sophronio missam Honorius Papa accepisset, non segnis fuit his omnibus à Sancto Sophronio postulatis consulere, nempè silentium omninò imponere Cyro Episcopo Alexandrino, unam voluntatem & operationem in Christo prædicanti.

Tan-

Tantis, ut vides, non parcebat laboribus pro fide Catholica Sanctus Præsul, (m) sed dum adviveret, superiùs dictis temeratoribus validissimè contradixit, (n) contra eos Hierosolymis Synodum celebrando, in qua contestabatur eos & damnabat, ut à propria hæresi quiescerent, & ad rectam Patrum fidem remearent. Dabat insuper in duobus libris sexcenta testimonia Patrum ad evictionem impietatis eorum, & veritatis ostensionem. Hæc cùm Sanctus Præsul pro fide Catholica perageret, (o) Haumar Princeps Arabum atq; Saracenorum, aciem direxit contra Palæstinam, & occupatâ Bethleem, obsedit Sanctam Civitatem Hierusalem; quare Sanctus Præsul videns loca sacra extra Hierosolymam posita, feris barbaris Saracenis exponi, vehementissimè lamentatus est, (p) quam lamentationem in die Natali Domini pro Concione à Sancto Sophronio factam, copiosis lachrymis, rem accuratè considerando, nemo est, qui non riget. (q) Cùm autem ab ijsdem barbaris capta & Sancta Civitas esset, & nec conditiones à Sancto Patriarcha porrectas, quibus se obligaverant, observassent, Sanctus Sophronius, videns sancta loca à canibus proculcari, nimio mærore confectus, multis luxit lachrymis, & lugubribus novus Hieremias threnis

(m) *Steph: Episc: Dorē: ut suprà.*

(n) *Baronius notat: ad Martyrol: Rom: die 11. Martij.*

(o) *Baronius Annal: Eccl: Anno 635. n. 2. 3. & seq:*

(p) *Extat in Bibliotheca vet: PP. tom: 2.*

(q) *Baronius Anno 636. n. 3. & 4.*

tantam cladem lamentatus est: unde meritò, uti alter Elias, petijt animæ suæ, ut moreretur, & non secùs atq; Heli non subſtitit ampliùs, ubi captam audivit Arcam Domini, neque illi superstes esse cupiebat. Magno itaq; totius Ecclesiæ Catholicæ damno, Sanctus Sophronius Anno Domini sexcentesimo trigesimo sexto, die undecima Martij vivere desijt, qui adversùs Monothelitas solus insurrexit, ac scripris dictisq; strenuè decertavit. Verùm licet Sanctus Sophronius ex hac vita discessit, tamen rectæ fidei hæreditatem ad suos Discipulos, aliquos Palæstinæ Episcopos, propagavit. Scripserat autem, dum viveret Sanctus Sophronius, (r) acta Sancti Athanasij Persæ Martyris, tum librum (s) Pratum spirituale nuncupatum; item homilias duas, unam in Natali Domini, alteram de Sanctis Angelis; item (t) Orationes duas in exaltationem & adorationem venerandæ Crucis, & in Sanctam Resurrectionem Christi de Sepulchro; item duos libros, in quibus sexcenta testimonia Patrum adducit, ad convictionem impietatis Monothelitanæ; item Epistolam ad Honorium & Sergium, quæ superest intexta actis sextæ Synodi. (u) Scripserat & alia plura, sed scriptis ejus Hierosolymitana clades attulit detrimentum, quòd æquè cum Civitate, Sophro-

(r) *Baronius Anno 627. n. 1.*

(s) *Secund: Synod: Nicæ:*

(t) *Extant in Bibl: vet: PP. tom: 7.*

(u) *Baronius Anno 636. n. 3. 4.*

Sophronij scripta naufragium passa sint; quare à Baronio vertex Theologorum Orientalium nuncupatur. Cæterùm ex paucis his nobis relictis, nobilissimi & divinitùs afflati ingenij monumentis, qualis quantusq; Vir fuerit, doctrinâ egregiè & eloquentiâ prædìtus? satis intelligi posse videtur; ut planè inter nobiliores Orientalis Ecclesiæ Magistros, meritò censeatur adnumerandus. Porro cùm nō doctrinâ tantùm, sed & sanctitate Sophronius percelebris innotuisset, ejus natalis dies posteris annuatim celebrandus, tam ab Ecclesia Græca in Monologio, quàm Latina in Martyrologio Romano, die undecima fuit adscriptus; (w) qua die Ordo noster ejusdem Sancti festum celebrat. Ex quo DEO Omnipotenti, & Filio ejus Vnigenito, qui in Hierosolymitano Sepulchro dignatus est sepeliri, unà cum Sancto Spiritu, omnis honor, virtus & gloria, Amen.

Anno 633.

(w) Officia Canonic: Eccles: Hierosol: impressa Leodij.



V I T A
S. SANCTIÆ Virginis.

15. Martij.

BEata Sanctia (a) Iacobi Aragoniæ Regis Filia, fratres habuit Petrum, qui post mortem Patris in thronum Aragoniæ succes-

(a) Henricg Spōdang Annal: Eccl: tō: 1. Anno 1276. n. 11. & 12.

ſucceſsit, & Iacobum Balearium Regem, Principem ſimul Ruſcinonis & Mompelerij. Hæc Beata tam magno ſanguine fulgens, cùm ipſius Pater, Petro Filio ſuo Regnum de manu tradidiſſet, & veſtem Ciſtercienſem indutus Valentiæ, Anno milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo ſexto, die vigeſima ſeptima Iulij obijſſet; Beata Sanctia ſe totam Divino cultui addixit, & perpetuâ curâ ſolennia ſacra obivit. Tandem regali Perſona depoſita, nemini nota aut manifeſta, Hieroſolymam profecta ad Sacroſanctum Domini Sepulchrum, & ibidem apud Canoniſſas Regulares Sanctiſsimi Sepulchri (b) facta Monialis; quæ dum multis annis in pauperes, peregrinos, & ægritudine confectos summè hoſpitalis eſſet, tandem plena meritis & virtutibus vitâ functa, & in Eccleſia Hieroſolymitana ſepulta, inſignibus miraculis fulſit. Cujus feſtum in Ordine noſtro (c) ponitur die decima quinta Martij. Ex quo Deo Omnipotenti, & Filio ejus Vnigenito, qui in Hieroſolymitano Sepulchro dignatus eſt ſepeliri, unà cum Sancto Spiritu, omnis honor, virtus & gloria, Amen.

(b) *Abraamus Bzovius Annal: Eccl: tō: 13. Anno 1277 num: 11,*

(c) Officia *Canic: Ssmi Sepulch: antiqu: auctore* Nakielſki. *Cracov: impreſſa.*



VITA

VITA S. CYRILLI Episcopi Hierosolymitani.

18. Martij.

CUm Hierosolymitana Ecclesia, post mortem Sancti Maximi, aliquamdiu vacasset, ex eo, (a) quòd Canonici Regulares Sanctissimi Sepulchri, in Heraclium Sanctissimi Sepulchri Canonicum Regularem, quem sibi Successorem optaverat Maximus, sua vota dirigent; Acatius autem Episcopus Cæsariensis, cum cæteris suæ sectæ Arianæ Episcopis, illum impedientes, quòd esset orthodoxæ fidei, ideoq; ipsum in exilium ob fidem truserunt. Canonici autem Hierosolymitanæ Ecclesiæ omnes curaverunt, ut nullum alium susciperent. Postea tamen ijdem Canonici sanctitatem Cyrilli, (b) promptissimi Defensoris Apostolicorum dogmatum, uti sui Canonici exploratam habentes, in illum sua vota direxerunt, & in Episcopum Hierosolymitanæ Ecclesiæ elegerunt. Sanctus hic Cyrillus à Sancto Maximo Hierosolymitano Episcopo fuit ordinatus Presbyter, qui à Nicephoro in Chronico unus tantùm atq; Catholicus nuncupatur, & ab ipso Sancto Hieronymo ijsdem

(a) S. Hieronymus.

(b) Theodoretus Eccles: hist: lib: 2. cap: 26.

 fer-

(c) De scri. ptor Eccl: in Cyrillo.

(d) Sozomenus, lib: 4. c. 23.

(e) Baronius Anno 359. n. 101.

(f) Idem Anno 353. n. 24 26. & sequ:

fermè verbis laudatur: (c) Cyrillus Hierosolymorum Episcopus sæpè Ecclesiâ pulsus & receptus, ad extremum sub Theodosio Principe octo annis inconcussum Episcopatum tenuit. Postquam autem Hierosolymitanam Ecclesiam post obitum Maximi regendam suscepit, statim (d) cum Acatio Cæsareæ Episcopo homine Ariano, de Iure Metropolitano dissentiebat; unde factum est, ut inimicitias inter se susciperent, & alter alterum, utpote non verè sincereq; de Deo sentientem criminaretur, etenim Acatius doctrinæ Arij favebat, Sanctus autem Cyrillus eos, qui Filium Patri consubstantialem asserebant, sequebatur. (e) Vnde magnæ Cyrilli laudi cessit, eum ab Acatio Ariano in crimen vocatum esse, quòd fidei Regulam, inter tot fluctus solidè retineret, quam Patres Nicææ in Concilio Ecclesiæ tradidissent. Episcopatum ejus multis Deus illustravit miraculis, nimirum, (f) signum Crucis in Cœlo visum est, quod clarè admodum resplenduit, non ut cometes solet diffusis radiis, sed luce multa in unum confecta, valdè denso jubare & perlucido emicuit, tantum pertinebat ad longitudinem, quantum est intervallum inter Calvariæ locum & montem Oliveti, quindecim autem stadia suprà locum in Cœlo suspensum hæsit, latitudo verò longitudini

tudini proportionatè respondit. Quo quidem insigni miraculo omnes obstupuerunt; ita ut singuli ædibus, foro & opere, quod quisq; fortè habebat in manibus relicto, pariter cum liberis & uxoribus in Ecclesiam convenerint, & uno ore Christum laudibus celebrarint, & Deum lætis animis confessi sint. De hac apparitione miraculosa Crucis, Sanctus Cyrillus ad Constantium Imperatorem scripsit Epistolam, in qua Imperatori ex prædicta apparitione Crucis, bonum omen Divinamq; benignitatem gratulatur. In Episcopatu ita se gessit, ut dignis vero Episcopo virtutibus eniteret, nec non gratijs Sancti Spiritûs, inter quas dono Prophetiæ ornatus fuit. (g) Nam cùm Iulianus Imperator Iudæis templum Hierosolymis instaurare jussisset, & de publico sumptu subministrasset, tunc temporis Cyrillus Hierosolymorum Episcopus memor vaticinij Danielis Prophetæ, quod & Christus in Sanctis Evangelijs confirmavit, ac multis futurum prædixit, quòd in eo templo lapis super lapidem non maneret, hoc, inquit, Servatoris oraculum adimplebitur. Quum hoc dixisset Sanctus Episcopus, noctu terræ motus magnus factus, lapides fundamentales veteris templi structuræ evulsit, ac cunctos unà cum contiguis ædificijs dispersit. Et cùm

(g) Ioannes Grodecius.

multi ad miraculum Iudæi convenissent, ignis cœlitùs delapsus, cuncta Artificum instrumenta consumpsit. Sequenti verò nocte signa Crucis instar radij solaris splendentia, vestibus illorum impressa comparuerunt, quæ extergere nullo pacto potuerunt. Hæc adeò stupenda, unum illud Cyrilli verbum divino spiritu prolatum, consecuta sunt. Sed non solùm contra Iudæos, sed etiam & contra Arianos plurimùm Sanctus Cyrillus decertavit. Quare cùm Ariani viderent illum vehementer suis hæresibus obstare, & Apostolica dogmata adeò strenuè tueri, modis omnibus eum persequebantur, atq; congestis nonnullis calumnijs in quodam Conciliabulo suo, accusare illum, & ita, ut alios Catholicos Episcopos more suo deponere non dubitarunt; idq; ex negotio pietatis illius erga egenos, quæsito prætextu. Odium autem omne contra Sanctum Cyrillum hinc fuit: quòd Acatius Ariano dogmati adhærebat, Cyrillus verò eos sequebatur, qui Filium Patri còéssentialem esse dicebant. Hoc autem modo animatus Acatius, unà cum consentientibus Episcopis ejus gentis, Cyrillum deponendo, antevertit hujusmodi prætextu. Cùm fames regionem Hierosolymorum occupasset, multitudo cibo necessario destituta, ad Cyrillum tanquam Episcopum respexit.

xit. Quoniam verò Sanctus Cyrillus nullam pecuniam habebat ad succurrendum egenis, necessaria vasa pretiosa & sacra vela distraxit. Hinc nata est fama, accidisse, ut quidam donarium suum in muliere scænica, quæ illo amicta erat agnoverit, studioseq; inquisierit, unde illud accepisset, & invenerit, quòd à Mercatore mulier illa, Mercator verò ab Episcopo traditum comparasset: & hoc prætextu Sanctum Cyrillum depositum esse ab Acatio. Verùm (h) Sanctus Cyrillus innocentiæ suæ conscius, appellationis libello ad eos, qui eum dejecerant, misso, ad majores Iudices provocavit. Sed (i) quia tunc temporis Liberius Romanus Pontifex, & ipse causâ fidei exul erat, ideò Sanctus & innocentissimus Præsul, causam suam soli, idq; supremo Iudici Deo disjudicandam reddidit. Quare post recessum Sancti Cyrilli (k) Sanctum Quiriacum, & post hunc Herennium, postea Heraclium ac tandem Hilarium Ecclesiæ Hierosolymitanæ præfuisse constat; (l) Cyrillus autem ex Ecclesia Hierosolymitana pulsus, Tarsum profectus cum mirifico Sylvano se conjunxit; hic enim tunc Præsul erat Ecclesiæ Tarsensis. Quo cognito, statim Acatius literas ad Sylvanum dedit, faciebatq; certiorem de exauctoratione Cyrilli. Sylvanus tamen & reveren-

(h) *Socrates hist: Ecclef: trip: lib: 5. cap: 34.*

(i) *Baronius Anno 359. n. 95.*

(k) *Nakielski in lib: de Sacr: antiqu: lib: 1. c. 7.*

(l) *Theodoretus Ecclef: hist. lib: 2. cap: 26.*

verentiâ Cyrilli & multitudinis respectu, quæ jucundissimè frueretur doctrinâ illius, nequaquam à functione Ecclesiastica abegit Cyrillum. Qua tempestate Episcopi Catholici centum quinquaginta, qui non ita multo post Seleuciam ad Synodum convenerant, illam depositionem ratam non habuerunt; imò ipsum potiùs Acatium, quàm Sanctum Cyrillum ab illa Synodo excludere maluerunt. Vt autem in sede sua Hierosolymitana firmior esset, & contra Arianos vehementiùs certaret, (m) à Concilio Constantinopolitano in sede Hierosolymitana confirmatus fuit. Quam præclaram autem & sanctam sui memoriam apud posteros reliquerit Sanctus Cyrillus, tum scripta illius, quæ extant, tum Orientalis Ecclesiæ Calendaria, in quibus preces anniversariæ, & commemorationes Sanctorum descriptæ sunt, testantur. Nam ut aliorum Patrum, qui in Sanctorum cœtu clariores habentur, ita hujus quoq; Sancti Cyrilli, die decima octava Mensis Martij, in Ecclesia Græca sancta celebratur memoria; ac scriptis quoq; illius apud Græcos, nomen Sancti Patris præfixum ubiq; reperitur. Et quamvis permultæ illius sacræ institutiones & catecheses literis mandatæ fuerunt, quarum etiam in libro de Viris illustribus meminit Hieronymus;

(m) *Baroni9 Anno 382. n. 15.*

quæ

quæ tamẽ ad nos pervenerunt, sunt tantùm decem & octo catecheses Græcè scriptæ, interpretatæ autem Ioanne Grodecio, quibus primùm baptizatos instruit, atq; totum Symbolum Apostolorum illis explicat. His additæ sunt quinquè mystagogicæ, quibus Divina mysteria, de baptismo, Chrysmate, Eucharistia, ac tremendo Missæ sacrificio tradit, & explicat. Insuper scripsit Orationem de occursu Domini, sive de Simeone Deum suscepturo, quæ scripta ipsius extant in Bibliotheca veterum Patrum. Cùm igitur tantis pro Deo, fide & Ecclesia fatigatus esset laboribus, (n) Anno Domini trecentesimo octuagesimo sexto, ut auctor est Sanctus Hieronymus, ex hac vita migravit. Cujus memoriam tum universalis Ecclesia in Martyrologio Romano, tum Ordo noster die decima octava Martij celebrare non desinit. Ex quo Deo Omnipotenti, & Filio ejus Vnigenito, qui in Hierosolymitano Sepulchro dignatus est sepeliri, unà cum Sancto Spiritu, omnis honor, virtus, & gloria, Amen.

Tomo 4. fol: 456. in edit: Colon:

(n) *Baronio Anno 386. n. 17.*



VITA

V I T A
S. ALEXANDRI
Episcopi & Martyris.

22. Martij.

(a) Eusebio Eccles: hist: lib: 6. cap: 9. fol: 136.

SAnctus Alexander (a) genere Cappadox, cùm illi genti virtutibus ac exemplo præluxisset, in illa Ecclesia Cappadocum fit primò Clericus Regularis: erga Sanctissimum Sepulchrum Christi mirè devotus; voto enim se obstrinxerat, Sanctissimum Sepulchrum Christi, tum & alia loca sacra Hierosolymis visitaturum. Vnde propter præclara ipsius merita, illius præclaræ Vrbis ac Ecclesiæ eligitur & ordinatur Episcopus; in Episcopatu ita se gessit, ut nihil perfectionis Religiosæ omitteret, voti sui memor Hierosolymam ad Sepulchrum Christi properat, quem (cùm Narcissus non ampliùs propter ingravescentem ætatem, ministerio Ecclesiæ Hierosolymitanæ præesse posset,) Divina dispositio in adjutorium Narcissi senis, evidentissimis revelationibus evocavit. Cùm enim sancto in itinere esset, Deus ipsi per revelationem noctu secundùm quietem aperuit, ut cum Narcisso Ecclesiæ Hierosolymitanæ fungen-

do

do conjungeretur. Adhuc in itinere Alexander, Deus iterum per aliam revelationem Beato Narcisso ac Clericis Regularibus Hierosolymitanis, qui erant inter illos ob virtutem spectatissimi, ipsis itidem noctu visam manifestavit, ut extra portas Civitatis egressi, Alexandrum Episcopum admitterent & susciperent, qui ipsis à DEO designatus erat. Quare cùm Vrbem sanctam ingressurus esset Alexander, multitudo tam Clericorum Regularium Hierosolymitanæ Ecclesiæ, quàm alterius plebis plurima in occursum Sancto Episcopo extra portas Civitatis egressa est; & vox de cœlo manifestissimè, omnibus audientibus, facta est: Suscipite Episcopum, qui vobis à Deo destinatus. Vnde manifestis miraculis, revelationibus Divinis, voce de cœlo facta moti Ecclesiæ Hierosolymitanæ Clerici Regulares, Sanctum Episcopum cum omni amore & officiositate suscipiunt, & charitatis ac dilectionis nexibus vinctum, non ampliùs domum reverti permittunt. (b) Narcissus autem convocatis, qui finitimas regebant Ecclesias, Episcopis, ijsdem Dei manifestam voluntatem, ac dispositionem miraculis confirmatam, in eligendo Sancto Episcopo aperuit; & ita Alexander communi etiam Episcoporum consensu, ad Ecclesiam Hierosolymi-

(b) *Surig 18. Martij.*

lymitanam manere coactus est. Adorato itaq; Sacratissimo Christi Sepulchro, tum adoratis & alijs locis sacris, Ecclesiæ Hierosolymitanæ gubernacula suscepit, (c) eratq; in ordine Episcoporum Hierosolymitanorum trigesimus quartus. In Episcopatu ita se gessit, ut quidquid videret in suo Antecessore Beato Narcisso sanctum, illud imitaretur, cujus etiam Narcissi in suis Epistolis, quas (d) ad Antinoitas incolas, Antinoi Civitatis Ægypti scripsit, mentionem facit, ista in extrema illa Epistola ad verbum scribens: Salutat vos Narcissus, qui hîc ante me Episcopatûs locum occupavit, & centum jam & sexdecim annos prætergressus, mecum in eodem ministerio quorundam precibus conjunctus fuit, qui obsecrat vos, ut idem mecum sentiatis, eademq; sitis voluntate. Pulchrum videre erat duorum in Ecclesia Hierosolymitana Sanctorum, parem virtutem, parem in promovendo cultu Divino zelum, ita, ut omnes sanctimoniam ipsorum mirarentur, plurimi per ipsos ædificarentur. Sed non diu hanc consolationem habuit ex præsentia Narcissi Alexander, nam Sanctus Senex centum & sexdecim annos prætergressus, beato fine quievit, quem Sanctus Alexander unà cum Clericis Regularibus Sepulchri Christi, in Ecclesia Hierosolymitana

(c) *Nakielski de Sacr: antiquit: lib: 1. cap: 6. fol: 53.*

(d) *Eusebius lib: 6. c. 9.*

mitana sepelivit. Erat autem (e) Alexandri summa solicitudo circa Hierosolymitanam Ecclesiam, penes quam inter cætera clarissima monumenta, Vir Sanctus in sacra Scriptura versatissimus & eruditissimus, nobilem construxit Bibliothecam; quæ cùm pluribus annis durasset, nec Diocletiani incendio conflagrasset, imò ex illa plurimi Viri Sancti complura collegissent, postea partim temporis injuriâ, partim Barbarorum incursionibus, & frequentissimis sanctæ Vrbis excidijs absumpta est. (f) In Episcopatu existens, ad commendatitias literas, sibi à Demetrio Episcopo Alexandrino missas, Origenem, qui postea lapsus in hæresim, in Presbyterum consecravit, pro quo ab eodem Demetrio multas persecutiones passus, quas tamen Vir Sanctus patientissimè sustinuit. Hoc tamen ferre non potuit, ut in fide Christi aliquam notam haberet, pro qua semper sanguinem suum paratus erat effundere; ideò verus fidei Christianæ Confessor, contra eundem Demetrium scripsit, se excusando, quòd juxta testimonium ipsius Demetrij illum Presbyterum ordinasset. (g) Inimicorum suorum, exemplo Christi, amantissimus erat, ita, ut cùm illi quidam ex notarijs suis furatus esset aurum, & metu perterritus fugiens in Thebaidem Ægypti, incidisset vagus & errans

(e) *Baroniꝰ Anno 258. num: 125.*

(f) *Idem Anno 230. n. 2. & 6. It Hieronymus de scriptor: Eccl: de Alexandro.*

(g) *S. Sophronius in Prato Spirit: cap: 34.*

in latrones, ac ductus fuisset ab eis captivus ad extremas Ægypti partes, hoc comperto Divus Alexander, redemit eum vinctum & captivum octingenta quinq; numismatibus. Quo reverso ita piè misericorditerq; usus est, ut omnes ex Vrbis sanctæ habitatoribus mirarentur, dicendo ac clamando: Nihil est utilius, quàm in Alexandrum peccare. Sed quàm magna fuit in Sancto Viro misericordia, non minor fuit humilitas. Cùm enim alio quoq; tempore, unus ex Diaconis ejus, coram Clericis Hierosolymitanæ Ecclesiæ, injurijs affecisset Divum, ille mox prostratus humi, veniam postulabat dicendo: Ignosce mihi Frater. Talibus ornatus virtutibus Sanctus Episcopus, quarum fama etiam ad aures Decij Tyranni, & Christianorum Persecutoris venit, qui ex eo, quòd Philippo, cui in Principatum succesṡit, infensus fuisset, persecutionem in Ecclesias suscitavit, eundemq; Sanctum, (h) qui jam antea sub Severo, vera pro pietate multa passus, comprehendi, & Cæsaream ad Tribunal suum adduci demandavit. Sistitur innocentisṡimus Præsul iniquo Iudici, Christi nomen & fidem confitetur, paratum se pro fide Christi mortem subire declarat. Ex sententia Tyranni Iudicis, vinculis traditur, carceri destinatur. Quemcùm

(h) *Niceph: Calist: hist: Eccl: lib: 5. cap: 9.*

cùm Deus majora pro suo nomine pati prævidisset, eundem omnipotentiâ suâ de vinculis & carceribus liberavit, & Ecclesiæ Hierosolymitanæ restituit. Fit igitur Clericorum Hierosolymitanæ Ecclesiæ ingens lætitia, fit summum plebis Hierosolymitanæ gaudium, quòd suum Sanctum Præsulem, de quo jam desperaverant, conspexissent. Præsul autem Sanctissimus internam lætitiam cordis, exemplo Pauli Apostoli, tum ex eo quàm maximam habuit, quòd vinctus Iesu Christi esset, & dirum carcerem pro fide Christi subiisset, & sicut Apostolus in Cruce Christi, ita hic Sanctus Præsul in vinculis & carceribus gloriatus est. (i) Scripsit ad Antiochenam Ecclesiam Epistolam, in qua carceris sui & vinculorum mentionem facit, simulq; hac Epistola, beneficia sibi à Deo data enarrat his verbis: Alexander servus & vinctus Iesu Christi, Beatæ Ecclesiæ, quæ est apud Antiochiam, salutem in Domino. Relevavit Dominus vincula mea, & carceris hujus mei dilatavit angustias, &c. quam, si placet, vide apud Eusebium. Sed non diu Sancto Præsule lætatæ sunt Hierosolymæ, (k) iterum enim Cæsareæ coram Decio Tyranno sistitur, & intrepidè fortis Dei athleta nomen & fidem Christi confitetur, ex qua jam secunda fidei confessio-

(i) *Eusebio lib: 6. c. 6.*

(k) *Idē lib: 6. cap: 19.*

fessione, magnam commendationem adeptus, plenus meritis, & virtutibus, jam extrema senectute & veneranda planè canitie eximius, vinculis & carceris cruciatu iterum afflictatus est. In quo post præclarum & illustre testimonium fidei Christianæ Præsulis, Tribunali datum, morte in carcere consopitus, palmam martyrij obtinuit. In cujus locum Mezabanes Successor ejus in Episcopatu Hierosolymitano declaratur. Hujus Sancti memoriam universalis Ecclesia in Martyrologio Romano, posuit decima octava Martij. Græci autem hujus Sancti Martyris festum celebrant decima quinta Maij. Ordo noster festum ejusdem Sancti Episcopi & Martyris, anniversaria celebrat devotione, die vigesima secunda Martij. Ex quo DEO Omnipotenti, & Filio ejus Vnigenito, qui in Hierosolymitano Sepulchro dignatus est sepeliri, unà cum Sancto Spiritu omnis honor, virtus, & gloria, Amen.



VITA

V I T A
S. CYRILLI Martyris.

29 Martii.

SVb Sancto Cyrillo, Hierosolymitanæ Ecclesiæ Episcopo, ac regnante Constantino Magno, (a) circa Annum Domini trecentesimum sexagesimum secundum, erat alter (b) Cyrillus ejusdem Ecclesiæ Hierosolymitanæ Diaconus, Sancto suo Episcopo, non solùm nomine, sed sanctimoniâ vitæ, patientiâ, ac omnibus virtutibus correspondens. Cùm autem (c) Heliopoli, quæ est circa Libanum, Gentiles, Deo sacratas Virgines, in loco publico nudatas veste, tum ad commune omnium, qui eas intueri volebant, spectaculum, tum ad ipsarum contumeliam consistere cogerent, atq; ut primùm eo, quo libitum erat, modo in eas insultarent, ad extremum illarum capillum tonderent, quin etiam eas dissecarent bifariam, & ad illarum intestina devoranda porcos provocarent, viscerum extremitate consueto illis alimento operta, quo porci non tam facilè ea internoscerent, sed consuetum alimentum necessariò appetentes, carnes etiam humanas discerperent: Sanctus Cyrillus Canonicus Regu-

(a) Baronius Annal: Eccl: Anno 362. n. 149. & 150.

(b) Theodoretus hist: Eccles: tripart: lib: 6. cap: 15.

(c) Sozomenus lib: 5. c. 9.

laris Ecclesiæ Hierosolymitanæ & Diaconus talia audiens, succensus zelo Divino, de Hieroso. lymitana Ecclesia, ad Heliopolitanos ivit, ubi non pridem Ecclesia à Constantino ædificata fuit, ibiq; verum, & unicum Deum prædicavit. Insuper multa Idola, quæ ibi adorabantur, contrivit & igni cremavit. Cujus facti memores viri nefandi, non solùm peremerunt Sanctum Diaconum, verùm etiam secantes ventrem, jecur ejus degustare non sunt veriti. Sed Deum, eadem facinora omnia contemplantem, celare non poterant, cùm debitas sui maleficij pœnas sumpserunt. Nam quotquot illius sceleris labe inquinati sunt, primùm amiserunt dentes, qui pariter omnes ad unum excidebant, deinde linguas perdiderunt, quæ putredine labefactatæ ex ore effluebant, postremò oculis orbati sunt: quorum calamitatibus veræ pietatis vis clarè prædicata est. Hujus Sancti memoria in Martyrologio Romano celebratur die vigesima nona Martij, qua die de eodẽ Sancto agunt etiam Græci in suo Menologio. Ex quo Deo O. potenti, & Filio ejus Vnigenito, qui in Hierosolymitano Sepulchro dignatus est sepeliri, unà cum Sancto Spiritu omnis honor, virtus & gloria, Amen.

VITA

VITA
S. ALBERTI Patriarchæ Hierosolym: & Martyris.

8 Aprilis.

SAnctus Albertus (a) natione Gallus, patriâ Ambianensis, pronepos Petri Eremitæ, qui Vrbano Secundo belli sacri Auctor exstitit, (b) in ipso adolescentiæ flore parentibus orbatus, ne inquinaretur à pice, si eam tangeret, relictô sæculô Canonicorum Regularium Sanctissimi Sepulchri institutum suscepit, ubi in literarum studijs & sanctitatis fimâ tantùm profecit, ut suprà Ecclesiæ Catholicæ candelabrum constitutus fuerit. Vnde paucis post annis Ecclesiæ Bethleemitanæ, (c) quæ ex prioratu Canonicorum Regularium Ssmi Sepulchri, de voluntate & consensu Paschalis Papæ, ad Cathedralem & Episcopalē evecta, (d) illius Ecclesiæ Episcopus factus, cum Tyrio ad Concilium Generale Lateranense sub Alexandro Tertio, Anno Domini millesimo centesimo, septuagesimo nono celebratum processit, Episcopus Bethleemitanus existens, scripsit Regulam pientissimo Carmelitarum Ordini, inscriptioni autem Regulæ, additum est nomen Patriarchæ, postquam eam dignitatem adeptus est. Ex Bethle-

(a) *Spondanus Annal: Eccl: tō: 11. Anno 1205. nū: 13. & 14.*

(b) *Ioannes Le Paige in Biblioth: sua fol: 140. & Aquilinus Gorczyński, sub Schem: 12. n: 86.*

(c) *Iacobus de Vitriaco, in Hist: Hierosol: abbrev: cap: 57. fol: 1077.*

(d) *Spondanus ut suprà.*

emitano factus est postea Vercellensis Ecclesiæ Episcopus in Lombardia, quæ Ecclesia ad normam Ecclesiæ Hierosolymitanæ, ut scribit Ioannes Le Paige, reformata fuit, sed hæ dignitates Sanctum Præsulem non extulerunt, quia (e) ut ante fuit in habitu humilis, in victu parcus, corpore castissimus, in eleemosynis largus, in Officio Divino assiduus, & in prædicatione serventissimus. Cùmq; efficaci virtutum suarum exemplo Clericos & Laicos ad meliorem frugem adduxisset, (f) à Canonicis Regularibus Sanctissimi Sepulchri, absens quidem, sed vitæ & scientiæ famâ præsens, in Patriarcham Hierosolymitanum, mortuô Monachô (cognomen ipsi tale erat) Patriarchâ Hierosolymitanô, electus fuit, Innocentiô Tertiô Pontifice illorum electionem approbante. (g) Ad quem etiam exstant ejusdem Pontificis ad onus suscipiendum hortatoriæ literæ, quibus humiliter acquievit ac Romam venit, & in Patriarcham ac Legatum Sedis Apostolicæ promotus, in Syriam navigavit, ubi non solùm à Christianis, verùm etiam ab ipsis Saracenis, ob sanctitatem suam in summa veneratione habitus fuerat. (h) Patriarcha Hierosolymitanus existens, Scholasticum, Tertium in Ordine Præpositum Miechoviensem Ordinis nostri, in ea dignitate confirmavit.

Lib: 1. sect: 6. fol: 78.

(e) *Breviar: Carmelit: in Festo ejus 8. April:*

(f) *Nakielski in Miechovia fol: 117.*

(g) *Spondanus tom: 1. Anno 1205. nũ: 5.*

(h) *Nakielski in Miechovia fol: 130.*

Scri-

(i) Scripsit etiam luculento & veraci sermone commentarium de ritu & statu Terræ sanctæ, quam frequentaverat, qui non exstat. Revelationibus Divinis, & visionibus sæpè fuerat consolatus, (k) quare & Iesum Christum visibili specie habuit Consolatorem, & Deiparæ Virginis præsentiâ mirè est confortatus. (l) Cùm autem Sanctus Patriarcha, Anno à Christo nato millesimo ducentesimo decimo quarto, Sacram Processionem Ptolomaidæ, de more cum Clero faceret, (m) à quodam, quem reprehenderat, percussus occubuit, anno sedis suæ decimo, (n) ejusq; Officium in universo Ordine Carmelitarum, fieri â Paulo V. summo Pontifice permissum die octava Aprilis. Non quidem quòd ipse Sanctus Albertus Carmelita fuerit, sed quòd Regulam eorum, ut scribit Spondanus consarcinaverit, benevolusq; admodùm eorundem exstiterit. In novo autem Catalogo Sanctorum Vrbano VIII. dedicato ponitur die decima quarta Septembris. Ex quo DEO Omnipotenti, & Filio ejus Vnigenito, qui in Hierosolymitano Sepulchro dignatus est sepeliri, unà cum Sancto Spiritu omnis honor, virtus & gloria, Amen.

(i) *Spondanus ut suprà nũ: 14.*

(k) *Breviar: Carmelit: in festo ejus 8. Aprilis.*

(l) Nakielski *in Miechovia fol: 131.*

(m) Ferrarius *in nov: Catalog: SS. 14. Septembris.*

(n) *Sponda. tom: 1. Anno 1003. n. 14.*

V I T A
S. QVIRIACI
Episcopi & Martyris.

4. Maij.

Sanctus Quiriacus (a) genere & fide Iudæus, antequàm sacrum Baptisma suscepisset, Iudas appellatus; hic Patre Simone Iudæo natus, Avum Zachæum pariter Iudæum habuit. Sancto Stephano Ecclesiæ Hierosolymitanæ, (b) ac Sancti Iacobi Apostoli, & primi Episcopi Hierosolymitani Diacono, ac Christi Protomartyri proximus sanguine fuit; erat enim ipsius Filiaster, ex Fratre ipsius Simone natus. Hic Iudas inter Iudæos illius ævi sapientissimus fuit, cujus Pater cum jam moriturus esset, talem Filio suo Iudæ admonitionem dedit: Vide Fili, quando inquiretur Crux Christi, illam manifesta, antequàm aliqua patiaris tormenta. Nunquam enim extunc genus Iudæorum regnabit, sed illi, qui Crucifixum adorant, quia ipse Christus, Filius Dei erat. Cui respondit Iudas: Pater mi! si verè Patres nostri Iesum Crucifixum esse Dei Filium cognoverunt, cur ipsum Crucis patibulo affixerunt? Respondit Iudæ Pater: novit Dominus, quia nunquàm in

(a) Legendæ Sanctorum, Iacobi de Voragine in Inventi S. Crucis fol: 49.

(b) S. Ignatius Epist: ad Trallianos.

in concilio eorum exstiti, sed eis sæpiùs contradixi. Cùm verò ipse Pharisæorum vitia exprobrabat, ipsum crucifigi fecerunt. Ipse verò die tertia surrexit, & cœlos, Discipulis videntibus, penetravit; in quem Stephanus Frater meus credidit, quem Iudæorum vesania lapidavit. Vide ergo Fili, ne ipsum, vel Discipulos ejus audeas blasphemare. Hac ergo à Patre suo moriente admonitione accepta Iudas, expectabat tempus, quo Deus Sanctam Crucem revelaturus esset. Factum est, ut Helena Imperatrix Magni Constantini Mater, causâ inquirendæ Crucis Sanctæ Hierosolymam veniret, omnes Iudæorum sapientes, qui per totam Regionem reperti fuerant, ad se congregari præcepit. (c) Iudæi autem nimium formidantes, in itinere loquebantur ad invicem: Quare putatis, quia Regina nos ad se faciat congregari? Iudas memor verborum Patris sui respondit: Scio enim, quia vult à nobis discere, ubi nam sit lignum Crucis, in quo Christus crucifixus fuit; & omnem à Patre moriente sibi datam admonitionem enarravit, cui Iudæi prohibuerunt, si de hoc Regina quæsierit, ne Crucem Christi manifestaret. Cùm ergo Iudæi ante Reginam stetissent, & illa eos interrogasset de hoc ligno, ubi fuerat Christus crucifixus, ipsiq; locum nullate-

(c) *Bonaven: Elers, in lib: Discip: rediv: serm: 21. de inventiō: S. Crucis.*

latenus indicare volentes, jussit eos Sancta Regina omnes igne cremari, Iudæi autem timentes tradiderunt Iudam, dicendo Reginæ: Hic Iudas est Dominus Iusti & Prophetæ Filius, optimè novit Legem, & tibi omnia, quæ quæsieris ab eo, indicabit. Tunc ergo Regina omnes dimisit Iudæos, solum tantùm Iudam tenuit, cui dixit: Mors & vita est ante te, quod malueris elige, aut Crucem indica, aut igne cremaberis. Respondit Iudas: Quomodo locum scire valeam, cùm jam plus, quàm ducenti anni, quando Christus crucifixus erat, & ego nondum natus fui. Cui Regina: Per Crucifixum fame te perimam, nisi mihi dixeris veritatem. Iudam igitur in puteum siccum jussit projici, & ibidem famis molestiâ cruciari. Cùm igitur sex diebus sine cibo mansisset, die septimo extrahi petijt, & Crucem Christi se indicaturum promisit. Extractus ergo, ubi Crux Christi fuit abscondita venit, & ibidem oravit, locus subitò commovetur, & fumus aromatum miri odoris sentitur, ita ut miratus Iudas ambabus manibus præ gaudio plaudendo, Christum Dei Filium, & Fidem Christianam veram agnovit. Tunc igitur viso tanto miraculo, plebs tota Christianorum præ gaudio exultare vehementer cœpit. Tunc Macarius Episcopus & Canonici

ei Regulares Ecclesiæ Hierosolymitanæ, toto corde Deum glorificaverunt, quòd dignatus sit Crucem Christi manifestare. Tunc Iudas præ cordis lætitia clamavit: In veritate Christe tu es Salvator mundi! Erat autem in loco illo templum Veneris, quod Adrianus Imperator ibidem construxerat, ut si quis Christianorum in loco illo adorare voluisset, videretur Venerem adorare, & propterea oblivioni datus fuerat locus. Sancta autem Helena templum funditùs fecit destrui, & locum inarari. Post hoc Iudas præcingens se viriliter fodere cœpit, & viginti passus fodiens, tres Cruces absconditas reperit, quas ad Reginam protinùs deportavit. (d) Inter has autem tres Cruces, quæ Christi fuisset? Deus per Macarium, Hierosolymitanæ Ecclesiæ Sanctum Episcopum, miraculosè manifestavit. Tunc etiam dæmon in àére contra Iudam Inventorem Crucis, lamentabiliter vociferabat dicens: O Iuda quid fecisti? Iudæ meo injuriam operatus es! Nam ille me suadente fecit proditionem, & tu me renuente Iesu invenisti Crucem; per illum multorum lucratus sum animas, per te perdere jam videor lucratas; per illum regnavi in populo, per te jam expellar à regno. Audiens Iudas vociferantem diabolum non extimuit, sed constanter

(d) Ruffinus Eccles: hist: lib: 1. c. 17.

ter diabolo restitit, & maledixit dicens: Christus te damnet in abyssum ignis æterni. Visis itaq; tantis miraculis ad inventionem Crucis Salvatoris Iudas, ad Sanctum Macarium, Hierosolymitanæ Ecclesiæ Episcopum se contulit, petens ab eo baptizari, à quo rudimenta fidei edoctus, & asistentibus sibi Canonicis Regularibus Sanctisimi Sepulchri baptizatus, & propter quærendam Crucem, â Beata Helena Quiriacus appellatus. Mutavit nomen Sanctus Confessor, mutavit & mores, in dies & horas in virtutibus proficiendo. Suscepto Christi Baptismo, renuntiavit simul omnibus sæculi pompis, quas facilè acquisivisset ab Helena Imperatrice pro tanto demonstrato thesauro, & ad vitam Religiosam Canonicorum Regularium Sanctisimi Sepulchri summoperè desideravit; factaq; professione, & emisis secundùm institutum Apostolicum Religiosis votis, sub Macario, Ecclesiæ Hierosolymitanæ Episcopo sanctisimè vixit. Quo tempore iterùm Beata Helena, cùm clavos Domini non haberet, rogavit Sanctum Quiriacum, ut ad locum pergeret, & clavos Domini quæreret; qui cùm venisset, & ad Dominum preces fudisset, continuò velut aurum clavi fulgentes in terra apparuerunt. Inventosq; Sanctus Quiriacus accipiens Reginæ detulit,

quos

quos Sancta Regina genua figens, in terram caput inclinans, cum summa reverentia ab ipso suscipiens, adoravit. Cùm autem Sanctus Cyrillus ob imposturas Acatij, Episcopatu Hierosolymitano se abdicavit, Sanctus Quiriacus dignus inventus est in Episcopum Ecclesiæ Patriarchalis Hierosolymitanæ promoveri, (e) eratq; in Cathedra Hierosolymitana qradragesimus secundus Episcopus. Sub hoc Sancto Pontifice, Ordo Canonicorum Regularium Custodum Sanctissimi Sepulchri plurimùm florere cœpit, (f) ita, ut aliqui, licet falso putent eundem Sanctum hunc Ordinem fundasse, cæterùm tamen alium esse Fundatorem hujus Ordinis constat. Hoc certum est, quòd idem Sanctus plurimùm hunc Ordinem tum condecoravit, tum auxit, tum sanctimoniâ, vitæ exemplo & virtutibus illustravit. Hic Sanctus Episcopus erga Passionem Christi mirè devotus fuit, ad quam Passionem, ut populum curæ suæ Pastorali subjectum, magis accenderet, festum Inventionis Sanctæ Crucis in Ecclesia Hierosolymitana præcepit singulis annis solemniter celebrari, quod postea secutæ sunt omnes Ecclesiæ toto orbe dispersæ. Talibus & tantis ornatum virtutibus Sanctum Præsulem, odio inventæ Crucis Sanctæ, jussit (g) Iulianus Apostata

 capi,

(e) Nakielski de Sacr: Antiqu: lib: 1. c. 7. fol: 57.


(f) Ioannes Nauclerus Vol: 2. sent: 41.

(g) Breviar: antiq: in fest: ejus 4. Maij.

capi, & ſibi præſentari. Qui cùm adductus fuiſſet, cœpit Apoſtata invitare Sanctum, ut ſacrificet dijs; de duobus tibi mox unum elige, aut honorem, ut magno Deo Iovi ſacrifices, aut dira tormenta ſubibis. Tunc Sanctus Quiriacus ait illi: Quare tu canis avare, cùm Divina miſeratione priùs fueris Chriſtianus, nunc verò Apoſtata factus, tanta ſacramenta conculcaſti indignus, & te æternæ mortis filium deputaſti? reſtat quidem tibi, ut quomodo cultores Dei perſequeris, & ad præſentem mortem pertrahis, ita perpetua te exſpectent ſupplicia, & fias in inferno dæmonum præda. Iulianus hæc audiens, dentibus in illum frendens, juſsit ejus manum dextram abſcindi dicens: Tu garrule, mihi æterna promittis tormenta, qui ſectam tuam à pueritia cognovi, excolui, & nihil mihi profuit, jure ergo merito, tali nunc cruciaberis tormento. Hæc eſt autem manus, cum qua eras frequentiùs Epiſtolas ſcribens, per quas multos à ſacrificio revocaſti. Cui Sanctus Quiriacus: O totius boni ignare! quantum bonum nunc operatus es in me? non enim ignoro, quia priùs, quàm agnoſcerem Deum vivum & verum in cœlis Creatorem, eram etiam ſcribens de Synagoga Iudæorum, ut nemo crederet in Crucifixum, & nunc quia ſcandalum

lum corporis mei abſcindis, vitam æternam mihi præparas, ſicut ſcriptum eſt: Meliùs eſt ut pereat unum ex membris, quàm totum mittatur in gehennam ignis. Iulianus hæc audiens, juſsit Sanctum Martyrem in terram deorsùm extendi, oreq; forcipe ferrea diſtracto, ferventi plumbo potari, usq; dum omnia interiora ejus viderentur incendio conflagrari. Cùm verò jam pertranſiſſent duæ horæ, & Chriſti Martyr ab omnibus æſtimaretur extinctus, erexit ſe cunctis ſtupentibus, & expanſis in cœlum manibus, laudavit Creatorem & Liberatorem ſuum. Quo viſo infelix carnifex Iulianus, fremebat in Sanctum vehementiùs, & juſsit eum extendi ſuper cratem ferream ignitam, deſuper injecto ſtridenti ſale & adipe: poſt hæc creſcente pœna, corpus ejus cardinabatur deſuper, ita ut videretur ventrem ejus ab igne tabeſcere, & dorſum ungulis ruptum penitus deficere. Quid plura? Martyr Chriſti interea in medio ignis, laudes uſquequaq; invictas perſolvit Deo, nec athleta Dei uſtionem aliquam ſentiebat, quem divina clementia quaſi intactum conſervabat. Iudex verò in omnibus his confuſus, & quid ampliùs facere poſsit, ignorat; jam ad ſacrificandum dijs non cogit Divum, niſi ſe dicat Chriſtianum non eſſe. Qui cùm execrans recuſa-

cusaret, jussit Iulianus altam foveam fieri, & serpentes venenatos ibidem poni, & Sanctum Quiriacum in eandem jactari, sed serpentes continuò mortui sunt. Iussit ad extremum Iulianus Sanctum Martyrem in caldarium oleo ferventissimo plenum mitti, qui cùm se signans sponte intrare vellet, rogans Dominum, ut eum iterùm in martyrij lavacro baptisaret, iratus Iulianus, jussit pectus ejus gladio perforari, & sic in Domino consummari promeruit. Hic Sanctus Martyr alio nomine vocatur Cyriacus, cujus memoriam universalis Ecclesia in Martyrologio Romano posuit quarta Maij. Qua die Ordo noster ejusdem Sancti Episcopi & Martyris festum anniversaria devotione celebrat. Ex quo DEO Omnipotenti, & Filio ejus Vnigenito, qui in Hierosolymitano Sepulchro dignatus est sepeliri, unà cum Sancto Spiritu omnis honor, virtus & gloria, Amen.



V I T A
S. M A X I M I
Episcopi & Martyris.

5. Maij.

SAnctus Maximus, hujus nominis in Sede Hierosolymitana tertius, Vir magnæ sanctitatis, pro-

propter quam sanctitatem vitæ, (a) populo Hierosolymitano, cùm adhuc Canonicus Regularis Ecclesiæ Hierosolymitanæ esset, percharus erat. Hic à Sancto Macario Hierosolymitanæ Ecclesiæ Patriarcha, in Episcopum Ecclesiæ Diospolitanæ, (b) quæ erat Canonicorum Regularium Sanctissimi Sepulchri, Patriarchæq; Hierosolymitano Suffraganea, (c) alio nomine Lidda appellata, ordinatus fuit; sed à populo Hierosolymitano, ne eam Sedem capesseret, impeditus, ideoq; populi Hierosolymitani suffragijs, ex sententia Sancti Macarij decretum fuit, ut post mortem Macarij in Episcopatum Ecclesiæ Hierosolymitanæ succederet. Tantæ autem Sanctus Præsul apud populum Hierosolymitanum æstimationis & amoris fuit, ut si ex Hierosolymitana Ecclesia ad Ecclesiam Diospolitanam abiret, seditio inter populum Hierosolymitanum ex ea re oriri videretur. Itaq; visum est Diospolitanis alium Episcopum eligere, ut Maximus maneret Hierosolymis, & post mortem Macarij Ecclesiam Hierosolymitanam gubernaret. Quā primùm autem Ecclesiæ Hierosolymitanæ gubernacula suscepit, statim Ecclesiam Sanctissimi Sepulchri, quam Constantinus Magnus nuper erexerat, dedicandam curavit. (d) Itaq; convocatis jussu Constantini Magni Imperatoris Episcopis,

(a) *Baronius Annal: Eccl: Anno 331. n. 13. Sozomenus lib: 2. c. 19.*

(b) *Tyrius de bello Sacr: lib: 24. c. 12. ad calcem libri.*

(c) *Niceph: Calist: Eccl: histor: lib: 8. cap: 9.*

(d) *Baronius Anno 335. n. 41.*

ſcopis, ac ex omni orbe Sacerdotibus Sanctus Maximus, eximium illud templum, die decimaquarta Septembris Anno Domini trecenteſimo trigeſimo quinto, quo die anniverſaria ſolennitas Exaltationis Sanctæ Crucis ab Eccleſia celebratur, cùm magna ſolennitate Deo conſecravit, ubi ſimul donaria & ornamenta, ab Imperatore ejusq; pia Matre Helena, Eccleſiæ Sanctiſsimi Sepulchri donata, maximi prorſus pretij, ab eodem Sancto Præſule conſecrata fuerunt. (e) Ex quo tempore idem Sanctus Pontifex, in Hieroſolymitana Eccleſia quotannis diem feſtum Dedicationis, ſplendidè admodùm celebrare indulſit, & Sedem atq; Cathedram montis Sion, in qua primus Hierarcha & Epiſcopus, Beatus Iacobus Apoſtolus renuntiatus fuit, in hanc noviter conſecratam tranſtulit, in qua Eutychium Eleutheropolitam, ſuis prædicationibus fidem Orthodoxam edocuit. Hæc cùm circa Hieroſolymitanam Eccleſiam Sanctus Præſul perageret, Euſebiani inter Arianos ob inſignem impietatem notiſsimi, in Civitate Tyrenſi Concilium indixerunt, cui etiam Sanctus Maximus interfuit; (f) ſed cùm in eodem Concilio, Sancto & innocentiſsimo Athanaſio calumnias & maxima crimina objeciſſent, eundemq; Epiſcopatu Alexandrino privaſſent, ad extremum

(e) *Sozomenus libro 2. cap. 25.*

(f) *Sozomenus libro 2. cap. 24.*

ex-

excommunicassent, (g) Sanctus Paphnutius Confessor, qui tunc etiam aderat, Athanasij innocentiæ conscius, cùm vidisset Sanctum Maximum, qui unà secum effosso oculo, & poplite succiso Confessor exstiterat, verùm præ nimia simplicitate, nihil de Sacerdotum scelere suspicantem, consedisse cum cæteris, quos factionis macula sociaverat, medium consessum adire non veritus: Te inquit Maxime, cum quo mihi unum atq; idem Confessionis insigne est, cum quo mihi pariter mortale lumen effossum, clariorem Divini luminis conciliavit aspectum; te inquam non patiar sedere in Concilio malignantium, & cum iniqua gerentibus introire. Injectaq; manu elevans eum de medio eorum, ac de singulis instruens, perpetua dehinc Athanasio communione sociavit. Hoc audito Sanctus Maximus, advertendo Arianorum fallaciam, ex concilio illo, cùm ferenda esset in Athanasium sententia, subductus est, (h) & in altera Æcumenica Synodo Sardicensi, Athanasij innocentiæ, & absolutionis sententiæ subscripsit. Imò Sanctus hic Præsul tantus fuit innocentiæ Patronus, ut pro eadem innocentia Athanasij, in adventu ipsius Hierosolymam, (i) de Syria & Palæstina universis convocatis Episcopis, Concilium Hierosolymis coëgerit, in quo Athasium

(g) *Rufinus Eccl: histor: lib: 10. c. 7.*

(h) *Athanas: Apolog: 2.*

(i) *Socrates hist: Eccles: tripart: lib: 4. cap: 34.*

sium innocentissimum declaravit, communioni fidelium & dignitati Episcopali restituit. (k) Insuper literas Synodales per Ægyptum, Lybiam & Alexandriam misit, in quibus Athanasium Ecclesiæ restituens, innocentiam ipsius universo orbi declaravit. (l) Cui postea Sanctus Maximus normam vivendi, more Clericorum Regularium, tradidit, ac certam Regulam Alexandrinæ Ecclesiæ præscripsit. Cæterùm hunc Sanctum Episcopum, nihil ab amore Dei abstrahi potuit, nec gratia, nec disgratia, nec ira, nec persecutio, nec metus, nec tristitia, nec dolor, nec tormenta, nec fames, nec inopia aliaq; adversa omnia, quæ pro fide Christi patientissimè sustulit. (m) Ad extremum eundem Sanctum Præsulem, Maximianus Imperator pro Confessione fidei oculum dextrum ejus evellens, & sinistram suram incidens, in metallis opera exercere damnavit, quæ tamen pro gloria Altissimi sustinuit & heroicè vicit. Tandem meritis & virtutibus plenus, palmâ martyrij insignis, Anno Domini trecentesimo quinquagesimo primò, cùm in Cathedra Sancti Iacobi annis viginti sedisset, moriens (n) Heraclium Ecclesiæ Sanctissimi Sepulchri Canonicum Regularem, sibi Successorem optans, obdormivit in Domino.

(k) *Sozome. hist: Eccles: trip: lib: 4. cap: 36.*

(l) *Petrus Lall in libro Mausol: S. Iacobi c. 11.*

(m) *Sozomenus hist: Eccles: tripart: lib: 1. c. 10.*

(n) *S. Hieronymus in Chronico.*

Cu-

Cujus Sancti memoria in universa Ecclesia in Martyrologio Romano, ponitur die quinta Maij; qua etiam die Ordo noster ipsius festum celebrat. Ex quo Deo Omnipotenti, & Filio ejus Vnigenito, qui in Hierosolymitano Sepulchro dignatus est sepeliri, unà cum Sancto Spiritu omnis honor, virtus & gloria, Amen.



V I T A
S. SERVATIJ Episcopi.

18. Maij.

SAnctus Servatius, (a) natus est in oppido Penestra aliàs Phestia, in confinio Persidis & Armeniæ, Anno Domini trigesimo. (b) Patrem habuit filium Eliud, Fratrem Sanctæ Elisabeth, Matris Sancti Ioannis Baptistæ, unde ex prosapia Iesu Christi legitur descendisse. Miræ verò abstinentiæ fuit ab infantia, ut penè nulla die reficeretur vice secunda. Adolescens factus, inde peregrè perrexit Hierosolymam, (c) ubi apud Canonicos Regulares Ecclesiæ Hierosolymitanæ, Hierosolymis se detinuit, & professionem Religiosam apud eosdem Canonicos publicè fecit. (d) Tandem in Tungris Civita-

(a) *Magnum Chronic: Belgic: fol: 6.*

(b) *Baronius in annot: suprà Martyrol: Roman: 13. Maij.*

(c) *Petrus Lûll in libro Mausol: S. Iacobi c. 11. & Gilbertus ab Elsrack in libro Offi-*

cia propr: die 13. Maij.

(d) Iacobus de Vorag: de eodem Sancto serm: 212.

te Teutoniæ, ordinatione Divina, de Hierosolymitana Ecclesia, ab Angelo per ignotas vias ductus, pervenit Tungrum, ubi tunc septuaginta duæ congregationes convenerant, in Ecclesia Sanctæ Mariæ pro agendis causis Sacerdotij. Et ecce Angelus apparens, humilem Servatium de terra, ubi oravit, erexit, & baculum Pastoralem de altari sumptum porrexit, sicq; dispa-rente Angelo, consecratus Episcopus fuit applaudentibus omnibus. Factus itaq; Episcopus Sanctus Servatius, dum linguâ maternâ loqueretur populis in Divinis Officijs per eundem Angelum, distinctè ab omnibus intelligebatur cujuscunq; essent nationis. Si verò de negotijs sæcularibus tractaret, interprete utebatur, nec aliter intelligebat eum populus, nec ipse populum. Quotidie verò celebrans, post Sacramenti sumptionem, nullarum epularum curabat gustum, unde raro solvebat jejunium ciborum, quando autem comedit Sanctus Præsul, ciborum illorum reliquiæ leprosos mundabant, & dæmoniacos curabant, tactuq; suo Sanctus Episcopus ægros sanabat. Sed non solùm ovibus suis in necessitatibus præsto erat, verùm etiam Ecclesiæ ac Catholicæ fidei insignis Confessor, strenuusq; defensor ac propugnator fuit. Multùm inter Episcopos Galliæ laudatur

à Sulpitio Severo, (e) quòd in Concilijs Arimini & Seleuciæ, minis & terriculis Arianorum non cesserit, sed contrà illos fidei professionem ediderit. Quin & magnus ille fidei Catholicæ Confessor Athanasius, præclaram ipsius mentionem facit, (f) pro cujus ipse innocentia, uti majori nominis in Gallijs Episcopus, unà cum Maximino, Treverensis Civitatis Antistite, à Magnentio Tyranno ad Constantinum Imperatorem legatus fuit, qui etiam Sanctus & in Concilio Sardicensi Anno Domini trecentesimo quadragesimo septimo eidẽ Athanasio innocentiæ subscripsit, & contrà Arianos plurimùm decertavit. Pietas quoq; ac in gregem Christi charitas, hujus Sancti Viri fuit eximia; nam ut Divus Gregorius Turonensis scribit: (g) Vigilijs ac orationibus vacans, crebro lachrymarum imbre perfusus, misericordiam Domini precabatur, ne unquam Hunnorum Gentem incredulam in Gallias venire permitteret. Atq; sentiens per spiritum pro delictis populi, hoc sibi non fuisse concessum, (h) post Concilium Coloniense, cui interfuit, Romam ivit ad Beati Petri tumulum, ut adjunctis sibi Apostolicæ virtutis patrocinijs, quæ flagitabat, mereretur faciliùs obtinere. Cùm autem in itinere Romano esset, (i) sitienti in via fontem Dominus aperuit, & Angelus scy-

(e) Sever: Sulp: histor: sacr: lib: 2.

(f) Baron: Anno 351. n. 28. & seq: Item Anno 347. nũ: 9.

(g) Lib: 2. hist: Franc: cap. 5.

(h) Baronio Anno 346. n. 9.

(i) Iacobus de Vorag: de eodẽ Sancto serm: 218.

phum pretiosum obtulit, Romam verò intranti, campanæ omnes sine humano adminiculo pulsatæ sunt. Romæ multis diebus sese oratione inediaq; affligens ante Sepulchrum Sancti Petri, meruit sæpius videre, in Ecclesia Beati Petri, Beatos Apostolos Petrum & Paulum, & Sanctum nostrum Diaconum Stephanum, sibi apparentes, ubi audivit à B. Petro, irrevocabilem esse Dei sententiam de destructione Galliarum per Hunnos, & suam simul Tungrim esse subvertendam, solum Metense Oratorium Sancti Ecclesiæ Hierosolymitanæ Diaconi Stephani remansurum; deditq; ei Sanctus Petrus, (k) cœli claviger, clavem auream & spopondit, salutem omnium animarum Tungrensium, qui converti vellent, simulq; manifestavit, deliberatione Domini sancitum esse, Hunnos Gallias debere populari, ipsius autem oculos ea mala non visuros.

(k) *Molang in natal: Belgij 13. Maij.*

Rediens itaq; ad suos Tungros Sanctus Servatius, ab Hunnis capitur, sed dormientem aquila protexit à sole per umbram alæ suæ, & alterâ alâ quasi flabello, ventum ei excitavit, quod cùm vidissent, stupebant Hunni. Dicitur etiam Sanctus Servatius secretò convertisse Principem Hunnorum, unde magnificatus est ab Hunnis libertatiq; donatus. Fontem de terra apud Wormatiam miraculosè produxit, de quo

ægri

ægri bibentes curantur. Tungris itaq; veniens, prædixit excidium Civitatis, & acceptis secum corporibus Sanctorum, tum vasis sacris ultimum eis valedicit, (l) denuntians cum fletu, quia non visuri essent ultrà faciem suam, at illi cum ejulatu magno supplicabant, ne derelinquas nos Pater Sancte, ne obliviscaris nostri Pastor bone; sed cùm eum fletibus revocare non possent, accepta benedictione cum osculis redierunt. Tandem venienti Sancto Servatio Trajectum, & Missam ibi celebranti, Angelus obitum ejus post triduum imminere prædixit. Divinis ergo participans Sacramentis Sanctus Servatius, commonuit plebem usq; ad horam diei nonam. Et ecce commendante eo Domino oves commissas, splendor de cœlo superilluxit, & simul cum lumine (m) perrexit ad Dominum tertio idus Maij, Anno Domini quadrigentesimo tertio, & statim cunctis videntibus, velamen sericum super corpus ejus Angelicis manibus est delatum, Sepulchrum autem ipsius, quamdiu sub dio fuit, nix nunquam attigit, multisq; deinceps miraculis hunc Sanctum, tam in vita, quàm in morte Deus illustravit. (n) Exstant Sancti Servatij reliquiæ in illustri vetustaq; Collegiata Ecclesia Trajecti ad Mosam, ac imprimis visitur in cryptis sepulchrale monumentum

(l) *Gregorio Turonen: lib. 2. hist: c. 5.*

(m) *Magnū Chronic: Belgic: fol: 7.*

(n) *Arnoldus Rayssius in Hierogazoph: Belgic: fol: 472.*

tum ejus, & à peregrinis (quos inter maximum numerum faciunt Britones Aremorici) piè etiam nunc visitatur. Exstat in eadem Ecclesia Pedum Pastorale Sancti Episcopi, ab Angelo Domini eidem porrectum; calix item parvus, quo in horrendo Missæ sacrificio utebatur; item alius calix paulò major ejusdem Sancti Servatij ex puro putoq; auro; altare item portatile ejusdem Sancti viridis coloris. Clavis aurea, quam à Sancto Petro, cœli clavigero accepit Sanctus Servatius, cùm oraret ad Deum pro imminenti excidio Galliarum; quæ (ut dicit Ægidius Leodiensis, Aureæ vallis Religiosus) hujus virtutis esse dignoscitur, ut si aliquando soricum pestis, aut tale aliquid agros invaserit, ipsa per agros deportata, omnem hujusmodi putredinem funditùs extinguat. Scyphus item sive vas ex lapide seu marmore vermiculato, in eadem Ecclesia asservatur, quem scyphum Angelus Sancto Servatio porrexit, cùm ex limpidissimo fonte laticis haustum bibere desiderasset, ex quo etiam ordinariè advenientes peregrini aliquid ebibunt. Sigillum item Sancti Servatij in eadem Ecclesia asservatur.

Vixit hic Sanctus plusquam trecentis annis, uti Petrus in Catalogo refert libro quarto, capite centesimo sexagesimo secundo, quod ipsum

fit,

firmat testimonio Cœlestini Tertij Papæ. (o) Natalis Sancti Confessoris celebratur die decimatertia Maij, festo die per totam Diœcesim in Belgio; dies autem translationis, recolitur septimâ Iunij; festum visionis, quam Romæ habuit de Galliarum excidio, incidit in diem Annuntiationis Domini, sed transponitur in diem Dominicum post Octavas Paschæ. Deniq; triumphus Sancti Servatij recolitur Dominicâ primâ Iulij. In nostra autem Polonia, in Archi-Diœcesi Gnesnensi & Diœcesi Præmysliensi sub ritu duplici majori, ejusdem Sancti celebratur festum decimatertiâ Maij, quæ Diœceses hunc Sanctum Præsulem sibi in Patronum singularem assumpserunt, nominatuq; in Rubricella Præmysliensi Patronus Russiæ, qua die universus Ordo noster ejusdem Sancti festum celebrat. Neq; mirum est, tanti Episcopi memoriam longè lateq; celeberrimam esse, nam ipse primus fuit Tungrorum proprius Episcopus, Prædecessores enim potiùs fuerant Trevirenses Antistites. Testantur etiam manuscripta Leodiensium Chronica, memorabilem Caroli Martelli victoriam contrá Saracenos, (in qua secundùm eos, qui parcissimè referunt, peremit trecenta septuaginta millia) in natali hujus Pontificis accidisse, ipsumq; Martellum & totam Franciam Beati

(o) Molan: in natali Belg: die 13. Maij.

Ser-

Servatij patrocinijs post Deum hanc victoriam asscripsisse. Sunt & alia hujus Sancti miracula & patrocinia, quæ vide apud Molanum. Ex quo Deo Omnipotenti, & Filio ejus Vnigenito, qui in Hierosolymitano Sepulchro dignatus est sepeliri, unâ cum Sancto Spiritu omnis honor, virtus & gloria, Amen.



VITA Sancti ELIÆ Episcopi & Martyris.

4. Iulij.

(a) Surio in vita S. Euthymij 20. Ianuarij. nũ: 60. 61. 69. 75. 80.

SAnctus Elias, (a) Arabs genere laudatissimus, Hic Sanctus, cùm Timotheus cognomine Ælurus totam conturbaret Alexandriam, ac ipsum Patriarcham Civitatis, in Divini Baptismatis piscina interfecisset, cùm inquam in Ægypto omnia essent plena motibus, Sanctus Elias profectus ex monte Nitriæ, ad magnum illum venit Euthymium, & in cella separata apud ipsum longo tempore est versatus. Quem quidem Sanctum Eliam Divinus Euthymius amplexus, lege amicitiæ asiduè invitabat ad

col-

colloquium. Cum quo unà & cum alijs, unaquaq; Dominica, intemerata sumebat Sacramenta. Prævidit autem magnus Euthymius perspicaci oculo animæ ea, quæ erant ventura Sancto Eliæ, nempè fore, ut Sancti Iacobi Apostoli, Episcopi Hierosolymitani ejus Sedis sit Successor futurus. Post hæc autem Sanctus Elias descendit in Hierico, ubi ædificavit sibi cellam ante Civitatem, quæ accessionibus ab eo factis paulatim dilatata, & in Monasterium transmutata est. Cùm verò Sanctus Euthymius esset plenus dierum, mortem suam imminentem prædixit; Sanctus autem Elias, sicut erat vitæ Euthymij spectator, ita & mortis ejus esse voluit. Proximus itaq; morti Euthymius, post datas admonitiones suis Discipulis, interrogavit eos, quemnam vellent post mortem suam eis imperare & præesse. Illi autem sanctitatem Eliæ perspectam habentes, uno veluti consensu petierunt Sanctum Eliam, qui jam fuerat OEconomus inferioris Monasterij. Itaq; ad Eliam conversus magnus Euthymius, inquit: Ecce omnes Patres te sibi Pastorem & Præfectum eligunt. Tu autem vide, ut tibi ipsi attendas & toti gregi. Oportet verò te hoc quoq; scire ante alia, quòd Deo visum sit, haud ita diu abhinc hanc Lauram fieri Cœnobium. Deinceps au-

tem & ubi nam ædificari Cœnobium, & quemadmodum conſtrui oportet, & de hoſpitum exceptione, pſalmodiaq; & ſtudio in regula adhibendo præcepit Eliæ, & de non negligendis Fratribus, & maximè ijs, qui improbis gravantur cogitationibus. Tali admonitione data ſuo Diſcipulo Sancto Eliæ Sanctus Pater, migravit ad Dominum. Hinc Euthymij obitus multis erat cauſa lachrymarum, & præcipuè Sanctum Eliam tangebat, ita, ut Sanctus Euthymij Succeſſor Elias vehementiùs lachrymaretur. Cùm verò fama mortis Sancti Euthymij per omnem ſparſa eſſet regionem, magna hominum congregata eſt multitudo, quæ non poterat facilè numerari, inter quos etiam Anaſtaſius Patriarcha Hieroſolymitanus unà cum Canonicis Regularibus Eccleſiæ Hieroſolymitanæ adfuit, cum quibus Chriſippus & Gabrielius Presbyteri, & Phe-idus Diaconus, Canonici Regulares Sanctiſsimi Sepulchri advenerunt. Vnde Patriarcha videns Sanctum Eliam valdè lachrymantem, per Canonicum Regularem Sanctiſsimi Sepulchri Chriſippum, Sanctæ Crucis Cuſtodem, ipſum conſolatus eſt. Factâ itaq; honorificâ ſepulturâ Sancto Euthymio, Anaſtaſius Patriarcha, cùm reverteretur in Sanctam Civitatem Hieruſalem, aſſumpſit ſecum Sanctum Eliam unà cum Martyrio,

&

& eos ordinavit Presbyteros, quos cùm ordinasset, perspectam habens ipsorum perfectionem, eosdem in Catalogum Canonicorum Regularium Sanctissimi Sepulchri retulit. Factus Canonicus Regularis Sanctissimi Sepulchri Elias, & Præfecturam Monasterij Sancti Euthymij non dimisit, imò idem Monasterium auxiliante Martyrio Patriarcha Hierosolymitano, qui non ita pridem ab Anastasio Patriarcha Hierosolymitano, in Catalogum Canonicorum Regularium Sanctissimi Sepulchri, unà cum Sancto Elia adscriptus, & post ipsius mortem in Sedem ejus promotus erat, tum auxiliante Pheido Diacono & Canonico Sanctissimi Sepulchri, quem ex naufragio, in mari, magnus apparens ei Euthymius, liberavit, idem inquam Monasterium Sanctus Elias, memor admonitionis, quam ipsi moriens dederat Sanctus Euthymius, ædificavit. Cùm autem ædificaretur Monasterium, omnes qui circa illud laborabant, arcebat aquæ penuriâ, quam cùm Sanctus Elias cogitaret jumentis transferendam ex Pharis, illa nocte apparet Sancto Eliæ magnus ille Euthymius. Quid hoc sibi vult, rogans, quòd hodie jumenta congregetis? Cùm verò respondisset Sanctus Elias, ut aquam afferremus ex Pharis, propterea quòd ea nunc nobis omninò defecerit; increpavit illum San-

ctus Euthymius dicens: O vos modicæ fidei, quanam de causa Deum non rogastis? nunquid is, qui ex prærupta petra inobedientem potavit populum, & aquam ex asini maxilla, Samsoni aliquando fecit scaturire, non poterit vobis quoq; ad usum suppeditare, si solùm cum fide offeratis petitionem? Deinde etiam eis prohibuit iter ad Pharas, ut minimè necessarium: aquâ enim vobis implebuntur vel maximè cisternæ, si tres saltim horas expectaveritis. Cùm ad hanc visionem è somno excitatus fuisset Sanctus Elias, protinus nubes super Monasterium erupit in pluviam, & cisternas aquâ implevit.

Postquam autem (b) Salustius Patriarcha Hierosolymitanus ex hac vita migravit, Sanctus Elias, quem futurum Episcopum Hierosolymitanum jam ante præviderat & prædixerat Euthymius, in Sedem Hierosolymitanam evehitur; factus itaq; Episcopus, omni studio contendit, ut circa se congregaret Religiosos Sanctæ Resurrectionis, seu Sanctißimi Sepulchri, quibus Monasterium apud Episcopatum construxit, & cellas ædificavit ad illos excipiendos, unicuiq; illorum abundè suppeditando, quæ erant necessaria; (c) ipsum autem Sanctum Episcopum sectatum esse idem vitæ genus, cùm esset Episcopus, quod excoluerat antea Religiosus, & nunquam

(b) *Surius in vita S. Sabæ nũ 39. 45 48. 50. 51.*

(c) *Sebastianus Piskorski in vitis Patrũ fol: 746.*

quam bibisse vinum. Quo tempore, quidam ex discipulis Sancti Sabæ seditiosi & importuni venerunt ad Sanctum Eliam, fingentes coram Patriarcha, Sabam illorum Patrem, cùm obiret solitudines, esse devoratum à leone, adeoq; petentes alium, qui eis præesset. Sanctus autem Elias, qui nihil temerè & inconsideratè neq; dicere, neq; audire didicerat, & alioquin Sabæ vitam, qualis esset à puero non ignorabat, respondit ipsis: Non possum, inquit, ego facilè credere, quod dictum est. Scio enim quòd cùm sit Deus justus, & justitiam diligat, non permisit servum suum devorari à bestijs. Abite ergo vos potiùs ad illum quærendum, aut si vobis videtur, expectate aliquantulum temporis, donec Deus nobis de eo aperiat. Cùm hoc dixisset Sanctus Elias, & post advenisset dies festus Dedicationis Ecclesiæ Hierosolymitanæ, Divinus Sabas venit, ut solebat, in Sanctam Civitatem. Cùmq; eum præter spem vidisset Sanctus Elias, gaudio repletus & de illo insperato reditu cum illo locutus, rogavit illum, ut ad suam rediret Lauram, & non sic Rectore destitutam derelinqueret. Ipso autem se excusante, Sanctus Elias non cessabat instare & obsecrare. Cùm verò videret Sabam magis resistere, Sanctus Elias hæc ægrè ferens, suo usus

est

est officio, dicendo: si me non audiveris, non venies mihi ampliùs in conspectum; quod cùm dixisset, protinus excitatus ad ei ferendum contrà seditiosos auxilium, scribens ipsius discipulis: Vos, qui estis fratres in Christo, scire volo Patrem vestrum, non ut à vobis auditum fuerat, fuisse à bestijs consumptum, sed eum adhuc vivere, esse superstitem, & ad nos venisse ad festum. Ego verò eum detinui, non æquum esse censens, ut ipse Lauram relinquat, quam suis construxit laboribus. Prompto ergo & alacri animo, vos eum eò, quo par est honore suscipite, & ei omnibus modis cedite. Sin autem sunt aliqui apud vos arrogantes, contumacesq; & superbi, & se ei nolentes submittere, nos eos jubemus quàm primùm à Laura recedere. Cùm itaq; seditiosi & malitiosi discipuli nollent Sanctum Patrem suum Sabam suscipere, & Sancti Patriarchæ Eliæ mandatis obtemperare, eos de Monasterio ejecit; sed Sancto Sabæ amanti Patri viscera non quiescebant, gravem dolorem ex jactura animarum concipiens, eosdem quæsivit, Sancto Patriarchæ Eliæ conciliavit, & ut eis eleemosynam largiatur vehementer rogavit; Sanctus autem Patriarcha Elias, datis Sancto Sabæ septuaginta aureis, eosdē recepit, & omnia eis necessaria suppeditavit.

Sed

Sed sicut fuit misericors Sanctus Patriarcha, ita fuit & justissimus, nam cùm alio tempore, quidam ex Incolis Monasterij Lauræ, hæresi Origenis infecti essent, Agapetus Lauræ Præfectus eam rem detulit Sancto Eliæ, quos statim Patriarcha, timens ne hoc malo inficerentur alij, eosdem ex Monasterio Lauræ expulit. Hoc postquam perageret Sanctus Patriarcha, suos Canonicos Regulares Sanctissimi Sepulchri utpotè Marcianum, Præsidem Ecclesiæ Sanctæ Sion, (d) ex qua Sancti Iacobi Cathedra ad Ecclesiam Sanctissimi Sepulchri, temporibus Sancti Maximi Episcopi Hierosolymitani nuper translata est, in Episcopum Ecclesiæ Sebastes, & Antonium itidem Canonicum Regularem Sanctissimi Sepulchri, in Episcopum Ecclesiæ Ascolitanæ, (e) quæ Ecclesiæ erant Patriarchæ Hierosolymitano Suffraganeæ, ordinavit; insuper Ioannem, qui erat ætate secundus, in sortem Diaconorum Ecclesiæ Hierosolymitanæ adscripsit.

(d) Nakielski lib: 1. de Sacri antiq: cap: 7.

(e) Idē ibid:

Hac (f) tempestate divulgatum est acre certamen ubiq; locorum, ab ipso Anastasio Imperatore adversùs fidem Catholicam, pulsumq; esse Constantinopoli, ob fidem Catholicam, Macedonium ipsius Civitatis Antistitem; jamq; ipse Sanctus Elias ab Hæreticis tentaretur, ut damnaret Chalcedonense Concilium, tantùm abest, ut

(f) Baronio Annal: Eccl: Anno 512. n. 5. 6. & sequent:

ipse

ipſe acquieverit, ut edita fidei profeſsione, ſe Defenſorem Decretorum ejuſdem Sanctæ Synodi præſetulerit. His illi graviter offenſi, dolo agentes, falſam produnt Eliæ nomine fidei Confeſsionem, quâ damnabatur ipſum Chalcedonenſe Concilium. Verùm conficta hæc fuit in Sanctum Eliam calumnia, cùm Sanctus Epiſcopus tantum pollebat fide Catholica, ut hujus rei causâ, ad avertendum ipſum Imperatorem à prava ſententia, quam in Orthodoxos conceperat, miſit cum ſocijs Beatum Sabam. Præterea miſit per eundem Sabam & Epiſtolam ad Imperatorem, in qua hæc ſcripſerat: Habitatores Eremi, & Sabam cùm eis, qui eſt caput Eremi ad tuam potentiam mittimus legatos pro Eccleſijs. Tu verò eorum laborem reveritus, & eos, qui ſunt in Deo ſudores, o Imperator! fac, ut ceſſet bellum adversùs Eccleſias, & ne ſinas malum progredi ulteriùs: Scimus enim tibi curæ eſſe, ut ea agas, quæ Deo grata ſunt, qui tibi conceſsit diadema. Cùm ergo Divini Patres jam ingreſsi eſſent viam, quæ ferebat ad Imperatorem, erat Sidone quædam Synodus Epiſcoporum Orientis & Palæſtinæ tunc congregata, adversùs Sanctum Flavianum Epiſcopum Antiochenum, & Sanctum noſtrum Eliam, quæ juſſu Imperatoris Sanctam Chal-

cedonensem Synodum abrogavit. Cùm ergo Legati venissent Constantinopolim, & Sanctus Sabas rogasset Imperatorem pro Ecclesia Hierosolymitana, & pro Sancto Elia Episcopo, ut nullam potentiæ Imperatoris subeat indignationem, Imperator non potens sedare iram, quam pridem conceperat adversùs Sanctum Eliam, dicit magno Sabæ: Qui vestræ præest Ecclesiæ Venerande Pater, non solùm Synodi Chalcedonensis suscepit patrocinium, sed etiam effecit, ut Flavianus Pontifex Antiochenus, eandem etiam iniret, & nunc resistit Synodo Sidone congregatæ, itaq; decernimus illum quidem sede expelli. Hæc cùm dixisset Imperator, & adeò gravi ira ferretur in Sanctũ Eliam, incipiens Divin⁹ Sabas Eliam defendere, Imperatoris iram ita compresśit, ut non solum rescinderet sententiam, sed etiam juberet ei de cætero remanere sedem minimè auferendam. Iamq; res parum pacata erat, (g) sed cùm apprehendisset Severus hæreticus, pulso ob fidem Christi in exilium Flaviano, Sedem Antiochenam, misit sua Synodalia ad Sanctum Eliam Patriarcham, quibus minimè admisśis non mediocritèr ad iram accendit Imperatorem. Itaq; rursus mittuntur Hierosolymam eadem Synodalia, simul missa non parva manu militari, ut ijs, quibus non persuadebatur

(g) *Baronio Anno 513. n. 8. 9. & seq. Idem nũ: 31.*

eadem tenere, vim etiam afferrent. Cum hæc autem ita ſe haberent & tam acerba in fidem Orthodoxam exerceretur tyrannis, & jam Sancto Eliæ grave immineret periculum, Sanctus Sabas congregatis eximijs & electis ſuis Diſcipulis, videns periclitari Catholicam fidem, & in diſcrimen adduci ſuum ipſius Epiſcopum, cum illis accedens, & illam, quæ circumſiſtebat Sanctũ Eliam perrumpens multitudinem, Regis Satellites & Severi miniſtros illicò fugat, tanquam quædam mancipia. Hoc dedecus & hanc ignominiam volens delere Imperator, contrà eos mittit Olympium, traditis ei copijs, quæ erant in Palæſtina, regia utens Authoritate, non legibus, nec judicijs. Qui cùm primùm aſcendit Hierosolymam, Sanctum Eliam de Sede Hieroſolymitana deponit, & eum damnat exilio propter fidem & Chriſtum. Quod cùm feciſſet, & Sanctiſsimum Hieroſolymorum Epiſcopum Eliam, per Severianos Hæreticos à ſua Sede abſtraxiſſet, fames magna & penuria rerum neceſſariarum, locuſta & graves quædam plagæ integris quinq; annis oppreſſerunt Paleſtinam, ſiccitate quoq; Provincia illa afflictata eſt, diuturniore quidem, quàm illa fuerat ſub Elia Propheta, cùm annis tribus atq; ſex menſibus non pluit. At ſicut per illam ejuſdem Eliæ ſanctitas magno-

gnoperè illustrata est, cùm scelestum Regem vicit, ejusq; Pseudo prophetas Deo rebelles divinè punivit, ita & hac diururniori siccitate Sancti nostri Eliæ est sanctitas declarata.

Porro (h) cum in exilio esset Sanctus Patriarcha, magnus ille Sabas, à superna motus Providentia, venit cum aliquibus Discipulis, ad visitandum ipsum, quem cum Sanctus Patriarcha vidisset, & gaudio fuit repletus, & omnia suorum malorum quodammodo est oblitus. Cùm illos ergo adeò libenter vidisset Patriarcha, multos dies apud se illos retinuit, & quotidie circa horam nonam è domo procedens, (toto enim illo tempore in grato permanebat silentio) sermone & alimento ipsos impertiebat, amicè & sincerè cum eis vitam agens. Cùm uno itaq; die illi venissent, ut consueverant, (is autem erat nonus Iulij,) cunctabatur egredi Sanctus Elias, at illi quidem expectabant, cibum minimè tangentes. Sanctus verò Elias media jam nocte egressus, lachrymosos habens oculos: Vos inquit cibum sumite: non est enim mihi otium. Illis autem diligenter sciscitantibus, quid nam ei accidisset, quòd tam tardè egressus? cur tristis? & cur essent oculi ejus suffusi lachrymis! Sanctus Elias acerbè ejulans, inquit: O Beate Pater! ad Sabam intuens:

(h) Idē Año 518. num: 23. & sequentib:

tuens: Heu hac hora mortuus est Imperator Anastasius, oportet me quoq; omninò decimo die post eum excedere, ut causam nostram agamus ante horrendum tribunal. Hoc ipsum quoq; apertum fuit Beato Sabæ in illa nocte, qua visione dignatus est Patriarcha. Dicitur ipsum quoq; vidisse fulmina, quæ desuper immittebantur in Imperatorem, & eum persequebantur ut interimerent, eum autem fugientem in regia penetralia turpiter effudisse animam. Hæc cum vidisset Sanctus Elias, (i) nunciavit per literas Sancto Flaviano pariter pro fide exuli, qui ipsi itidem significavit; sibi ambo Patriarchæ mutuo scribentes: Anastasius hodie mortuus est, eamus igitur & nos, ut cum illo judicemur, & post decem dies à morte Anastasij, post duos autem, à scriptis literis Sanctus Elias unà cum Flaviano migravit ad Dominum. Cujus memoria in Martyrologio Romano ponitur die quarta Iulij. Qua die etiam Ordo noster hujus Sancti Patriarchæ Eliæ festum celebrat. Ex quo DEO Omnipotenti, & Filio ejus Vnigenito, qui in Hierosolymitano Sepulchro dignatus est sepeliri, unà cùm Sancto Spiritu omnis honor virtus & gloria, Amen.

(i) *Sophronius in Prato Spirit: cap: 35.*

VI.

VITA
S. ANASTASIJ Martyris.

5. Iulij.

SAnctus Anastasius Canonicus Regularis Sanctissimi Sepulchri, (a) vixit circa Annum Domini quadringentesimum quinquagesimum secundum, à Beato Iuvenali Patriarcha Hierosolymitano in Diaconorum Ordinem in Ecclesia Hierosolymitana cooptatus, penes quam sanctissimè vixit. Eo tempore Chalcedonense Concilium celebrabatur, (b) in quo plurima saluberrima pro fide & Religione Catholica statuta & stabilita sunt. (c) Non placuit idem Concilium Sanctum Pseudo Monacho Theodosio, qui Synodo interfuerat, & diversa à Decretis Sacri Concilij sentiebat; igitur Hierosolymam venit, & Beatum Iuvenalem Hierosolymorum Episcopum, (d) qui etiam interfuit in eodem Concilio, ut Sacri Concilij Acta aboleret & anathemati subijceret cogere voluit. Beatus autem Iuvenalis ad Imperatoris Vrbem Constantinopolim recessit. Quod ut factum, impius Theodosius Eudoxia Imperatrice in partes suas rapta, adjutoribus ea in re usus, qui Concilij Chalcedonensis Constitutionibus adversabantur, (e) in ipso die Sancto Festi Resurrectionis Dominicæ,

(a) Baronius Annal: Eccl: Anno 452. nú 30.

(b) Nicephorus Calistus lib: 15. cap: 6.

(c) Idē cap: 9.

(d) Idē cap: 79.

(e) Evagrius lib: 2. cap: 5.

San-

Sanctæ Hierosolymitanæ Ecclesiæ thronum occupavit, & magnam movit persecutionem in Civitate Sancta Hierusalem, adversùs Clericos Regulares Ecclesiæ Hierosolymitanæ, & adversùs eos, qui communicare cùm eo nolebant, (f) maximeq; adversùs Sanctum Anastasium Ecclesiæ Hierosolymitanæ Diaconũ. Quosdam namq; tormentis excruciavit, aliquibus substantiam ademit, aliorum ædibus ignem injecit, ita ut Sancta Vrbs à barbaris capta esse videretur. Quod cum videret Sanctus Anastasius in media Ecclesia Hierosolymitana, cum multa dicendi libertate, iniquitatis abominatione, throno sanctissimo insidente, ad impijssimum Tyrannum, vocem illam præclaram emisit: Desine Theodosi tantam cœdem committere, desine Christo bellum inferre, & gregem ejus in prædonum morem è Divino Ovili eijcere, & aliquando tandem benevolentiam erga verum germanumq; Pastorem nostrum Iuvenalem cognosce. Hæc cùm diceret, à Satellitibus impijssimi Theodosij Sanctus Diaconus arreptus & ex Ecclesia Hierosolymitana tractus est. Atq; insolentis petulantiæ & cruciatuum genus omne, propter Christum perpessus, & flagris multis concisus, ad extremum pro Christo, (g) ac Sancta Synodo Chalcedonensi ferro tandem necatus est. Finivit

(f) Baronio Anno 452. n. 30.

(g) Martyrolog: Rom: 5. Iulij.

nivit vitam Sanctus Martyr, non finivit tyrannidem impijssimus Theodosius. Corpus Sancti Martyris ex pedibus per Vrbem omnem raptum canibus tandem pro esca projectum est. Sed Deus, qui custodit ossa Sanctorum non prætermisit, ut unum ex Sancti Anastasij Martyris conteratur. Nefandus autem Theodosius exacta in Sede Hierosolymitana per menses viginti tyrannide, cùm Dorotheus, qui Palæstinam ab Imperatore administrabat, *jussu* ejusdem Imperatoris, cum exercitu forti rebus Hierosolymitanæ Ecclesiæ consulturus accurrisset, fugam arripuit, à solo & *justo* Deo dignas sceleribus suis pœnas sumpsit. Celebratur hujus Sancti Martyris memoria in Martyrologio Romano die quinta Iulij. Ex quo Deo Omnipotenti, & Filio ejus Vnigenito, qui in Hierosolymitano Sepulchro dignatus est sepeliri, unà cum Sancto Spiritu omnis honor, virtus, & gloria, Amen.



VI.

V I T A
S. JOSEPH JUSTI
Episcopi Hierosolymitani.

20. Iulij.

(a) Actorum Cap: 1.

(b) Cornelio à Lapide in Commen: in Acta Apostol: fol: 61. & 62

SAnctus Ioseph, (a) qui cognominatus est Iustus, (b) ab insigni ejus justitia & sanctitate, æquè ac ejus Frater Iacobus, ab eadem sanctitate Cognominatus est Iustus & Frater Domini. Iustus enim non Hebræum, ut Beda aliiq; putant, sed latinum, estq; Nomen proprium. Hic Sanctus Ioseph Iustus, fuit Frater Iacobi Apostoli, primi Episcopi Hierosolymitani, ac Patriarchæ mei, & Iudæ Thadæi Apostolorum, ac Filius Alphæi & Mariæ, ideoq; Consanguineus Christi. Vnde inter Matronas adstantes Christo Crucifixo nominatur, hæc Maria Iacobi, & Ioseph Mater. Hic Sanctus Ioseph Iustus, (c) fuit unus ex numero septuaginta duorum Discipulorum tantæ sanctitatis, ut mereretur cum Sancto Matthia in locum Proditoris Iudæ ad Apostolatum promoveri, motivum autem promotionis ad Apostolatum fuit, quòd esset fidelissimus testis Dominicæ Resurrectionis de Sepulchro Christi. Sed quia ad Collegium duodecim Apostolorum tres ipsius Fratres, Iacobus, Simon, & Iu-

(c) Baronius in notation: super Martyrol: Rom: 20. Iulij.

Iudas Thadæus fuerunt vocati à Christo, proinde noluit Christus, ut in eum sors caderet, tum ne tot cognatos suos videretur Christus externis præferre, tum, ne quatuor Fratres simul essent in Collegio duodecim Apostolorum. Cum igitur sors cecidisset super Matthiam, Ioseph Iustus Hierosolymis ad cœnaculum (quod Christus in Ecclesiam consecravit,) unà cum Clericis illis Regularibus primitivæ Ecclesiæ Hierosolymitanæ manebat, ubi tum orationi deditus, (d) tum prædicationis & sanctitatis officio inserviens, multam pro fide Christi persecutionem sustinuit. (e) Factus est postea Episcopus Eleutheropolis in Palæstina, sed cùm Ecclesia Hierosolymitana, post mortem & martyrium Sancti Simeonis Episcopi vacasset, Clerici Hierosolymitanæ Ecclesiæ unanimi consensu (f) in Sedem Hierosolymitanam Episcopalem, eundem Sanctum posuerunt, eratq; in Ordine Episcoporum Hierosolymitanæ Ecclesiæ numero tertius. In Episcopatu brevissimo tempore vixit, ob persecutiones, quas sustinuit. (g) De quo etiam refertur, quòd venenum biberit, & nihil ex hoc triste propter Domini fidē pertulerit. Ad extremū multis in Ecclesia Dei fractus laboribus, victoriosissimo fine quievit, cum sedisset in Cathedra Iacobi annis tribus. Hujus Sancti memoria in uni-

(d) *Martyrolog: Rom: 20. Iulij.*

(e) *Cornelius ut suprà.*

(f) *Marianus Scotus Historiographus Chronic: lib: 2. Ætate 6.*

(g) *Martyrol: Rom: 20. Iulij.*

niversa Ecclesia in Martyrologio Romano jugi commemoratione celebratur die vigesima Iulij. Ex quo Deo Omnipotenti, & Filio ejus Vnigenito, qui in Hierosolymitano Sepulchro dignatus est sepeliri, unà cum Sancto Spiritu omnis honor, virtus, & gloria, Amen.



VITA
S. ERASTI
Episcopi & Martyris.

26. Iulij.

(a) Dorotheus Episc: Tyri in sua Hist: fol: 148.
(b) Actorum cap: 19.
(c) Ad Rom: cap: 16. ad Titum cap. 4.
(d) Cornelius à Lap: super Acta Apostol: fol: 313.

SAnctus Erastus, (a) unus ex septuaginta duobus Christi Discipulis, (b) Sancto Paulo in prædicatione Verbi Divini ministrabat, quem etiam hic Sanctus Apostolus, in Macedoniam ad prædicandum Christi Evangelium misit. Hic Sanctus tantæ fuit apud Sanctum Paulum dilectionis, ut quando Paulus (c) literas scriberet, à Sancto Erasto primos illos in Ecclesia Christi Fideles vel salutabat, vel etiam de illo certos faciebat. Vnde cum idem Sanctus Erastus remaneret Corinthi, Sanctus Paulus ad Titum scribendo de illo notificavit. (d) Corinthi autem manendo, illius Civitatis factus est

Arcarius, id est quæstor eleemosynas colligendo, & Sanctis qui erant Hierosolymis, deferendo. (e) Cùm autem ex pluribus locis ad Ecclesiam Hierosolymitanam, & ad eos, qui Hierosolymis erant egentes, mitterentur eleemosynæ, Sanctus Erastus, sub Sancto Iacobo Apostolo, primo Hierosolymorum Episcopo, (f) Ecclesiæ Hierosolymitanæ OEconomus factus, pias illas eleemosynas, quas tum ipse Corinthi collegit, tum etiam ab alijs Hierosolymam missas, fidelissimè distribuebat, & thesaurum ex eleemosynis collectum, pauperibus & egentibus dividebat. Hoc igitur munere & officio ad Ecclesiam Hierosolymitanam laudabiliter functus, posteà creatus fuit Philippensis Episcopus, ibiq; Martyrio coronatus, ac Sanctis adscriptus est. Celebratur hujus Sancti memoria in universa Ecclesia in Martyrologio Romano die vigesima sexta Iulij. Ex quo Deo Omnipotenti, & Filio ejus Vnigenito, qui in Hierosolymitano Sepulchro dignatus est sepeliri, unà cum Sancto Spiritu, omnis honor, virtus, & gloria, Amen.

(e) Baronius Annal: Eccl: Anno 44. nū: 73.

(f) Dorotheus Episc: Tyri in sua Hist: fol: 148.



VITA
S. HELENÆ
Matris Constantini Magni.

18. Augusti.

SAncta Helena, (a) Filia Chòélis Regis Britonum, quam Constantinus Senior in Britaniam veniens, cùm esset unica, Patri suo, propter ejus pulchritudinem duxit uxorem, ex qua Filium Constantinum habuit. Hæc mortuo sibi marito (b) cum Deo omnium gubernatori, debitum piæ mentis & affectionis munus impertire in animo haberet, & pro Filio suo tanto & tam præclaro Imperatore proq; liberis ejus Cæsaribus, charissimis suis nepotibus, Deo gratias per preces esse agendas putaret, ætate jam ingravescente, singulari quodam consilio, & provida animi cogitatione vereq; regia adducta, properè instar adolescentulæ Hierosolymam venit, tum sacrosanctam terram oculis lustratura, tum gentes Orientem incolentes, plebemq; pariter ac populi multitudinem conspectura. Ac postea quam in locis, in quibus Salvatoris erant impressa vestigia, debitam venerationem adhibuerat, idq; convenienter Prophetico sermoni dicen-

(a) Iacobꝰ de Voragine ex Chronica satis Authent in Invent: S. Crucis.

(b) Surius 18. Augusti.

dicenti: Adorabimus in loco, ubi ſteterunt pedes ejus, pietatis ſuæ monimenta ſtatim fabricare aggreditur. (c) Ac imprimis Hieruſalem deſertam ſicut pomorum cuſtodiam inveniens; requiſivit Sepulchrum Chriſti. (d) Verum quia Veteres Gentiles qui Eccleſiam perſecuti fuerant, Sepulchrum Chriſti ingenti aggere ſuprà injecto obruerunt, deinde fanum Veneris ſuprà extruxerunt, poſtremo ſimulacrum in eó ſtatuerunt ad eum ſane finem, ut & qui Chriſtum in eo loco adorarent, Venerem viderentur colere, ideoq; Sancta Regina, in inveniendo Sepulchro Chriſti magnam difficultatem habuit, ſed Sancta Imperatrix difficultates omnes ſuperavit, & Sepulchrũ Chriſti, unde Chriſtus reſurrexit invenit, & profundiſsimo cultu adoravit. Invento Sanctiſsimo Sepulchro, quæſivit pijſsima Regina & ſalutare Crucis Chriſti lignum, quod cùm quæreret, (e) circa monumentum Domini apparuerunt ſuffoſſæ tres cruces, ſimul & titulus literis Hæbraicis, Græcis Latinisq; conſcriptus IEZUS NAZARENUS; REX IUDÆORUM. Vnde patet duplicatam fuiſſe ipſam Crucem Chriſti, unam ubi clavis affixæ erant manus IESU, alteram ubi erat titulus & inſcriptio Pilati. (f) Partem igitur Crucis Sanctæ omnium maximam, thecis argenteis incluſam, Sancto Macario Patriarchæ Hieroſoly-

(c) *Socrates: Hiſtor: Eccls tripar: lib: 2. cap: 15.*

(d) *Surig de Invent: S. Crucis 3. Maij.*

(e) *Socrates ut ſuprà.*

(f) *Baronig Anno 326, n. 49.*

ſolymitano, ac Canonicis Regularibus in Hieroſolymitana Eccleſia donavit, partem alteram Conſtantino Filio ſimul cum clavis, quibus Chriſtus affixus fuit miſit, reliquum Crucis Sanctæ Romam perlatum, & in Baſilica ad Atrium Seſſorianum collocatum. (g) Quanta autem animi jucunditate, hæc Sancta Fœmina perfundebatur, ob inventionem tam pretioſi theſauri, quo à tetris inferni carceribus, Chriſti benignitate redempti & liberati ſumus, ut in locis editioribus & promontorijs, turres altas ex muro ſolido ædificari curaret, in quibus ignes in lætitiæ ſignum ubiqué accendebantur, quarum turrium in Syria Phœnices per montes frequens eſt numerus. Poſt hoc Deo, quem in inventa Cruce adoraverat, duo dicavit templa, quorum alterum ædificavit in Monte, ubi aſcenderat, alterum ad obſcurum illud antrum Nativitatis ejus. Ac propterea Imperatrix Sanctiſsima, Deiparæ partum eximijs monimentis exornare, & ſacrum illud antrum varijs cujusq; generis inſignibus illuſtrare ſtuduit, Imperator autem paulo poſt eundem locum ornamentis regalibus, honorare, & monimentis ex auro & argento, varijsq; aulæis Matris ſuæ magnificentiam adaugere cœpit. Rurſus ejus Mater, quo omnium Noſtri Salvatoris in cœlos

(g) *Nicolaus Radivilus in Hieroſol: peregrin: fol: 51.*

los Ascensionis memoriam celebraret, excelsa quædam ædificia in Monte Olivarum extruere parat. Ac primo in summo totius montis vertice sanctuarium Ecclesiæ Dei erexit, templumq; inferius etiam exædificavit, in eo ipso antro, in quo ut vera & sacrata Dei testantur eloquia, Discipuli & Apostoli à Salvatore omnium arcanis mysterijs initiati fuerunt. Imperator quoq; ibidem varijs monimentis & insignibus Regem magnum Deum veneratus est. Ista igitur duo templa, memoriâ perpetuâ celebranda augusta & eximia, in duobus obscuris quasi antris & mysterijs Helena Augusta, pij Imperatoris pia Mater, suæ piæ mentis, tanquam indicia Deo Servatori fundavit, Filio suo ei opem per regiam potentiam & auctoritatem porrigente, quæ statim templa postquam ædificaverat, eadem Canonicis Regularibus Sanctissimi Sepulchri tradidit. Præterea quicunq; terræ sanctæ loca perlustravit, fatebitur hanc Reginam omni venerationem dignam, non solum hæc templa, sed in ipsa Palæstina, fere trecentas Ecclesias, vel ut alij volunt quingentas, magnis sumptibus erexisse & liberalissimè dotasse, quarum Ecclesiarum, nunc partim ingentes ruinæ supersunt, partim adhuc integræ conspiciuntur.

Porro dum regiarũ opũ magnificentiâ instructa

omnẽ

omnem Orientem peragrat, tum universo populo quasq; Civitates incolenti, simul, tum privatim singulis eorum, qui ad ipsam accedebant, infinita munera largita est. Infinita etiam Ordinibus Militaribus quasi plena manu distribuit. Quæ verò pauperibus, omnibus modis nudatis omniq; ope & auxilio destitutis dispertierit, vix enumerari possunt, quippe in alios grandem pecuniarum vim conferre, alijs corporis tegumenta prolixè & largiter suppeditare, vinculis eripere alios, alios tum laboribus in metallis effodiendis afflictatos, tum fraude & injuria oppressos liberare, deniq; ab exilio alios in Patriam revocare dignata est. Quæ quidem licet ejusmodi rebus esset insigniter nobilitata, alia tamen in Deum pietatis munera minimè neglexit. Nam ubiq; cernebatur in Ecclesiam Dei intrare, templaq; splendidis exornare monimentis, inq; ædes sacras vel in minimis Vrbibus extructas suam benignitatem ostendere: licebat propterea eam & decoro eximioq; apparatu admirabilem, videre, sæpe versari cum multitudine, & verum cultum erga Deum omnibus pijs vitæ officijs declarare. Tandem Helena Sancta amore Dei flagrans, postposito propter Deum Imperiali honore, (h) de manibus Sancti Macarij Patriarchæ Hierosolymitani, habitum Ordinis Canonissarum Regu-

(h) *Dagobertus Patriarcha apud*

Regularium Sanctiſsimi Sepulchri unà cum Cruce in pectore ſuſcepit. Quo ſuſcepto, memor vocationis ſuæ, erga Sacratiſsimum Sepulchrum Chriſti in devotione, mirabiliter profecit, (i) & locum illum ubi reſurrexit redivivus, non ſemel contemplata pijs lachrymis rigavit. Inſuper inter illas Religioſas Virgines, (k) in humilitate excelluit, nam tanta Deo ſacratas Virgines, devotione curaſſe dicitur, ut indignum crederet, ſi famulorum uterentur officijs, ſed ipſa manibus ſuis, famulæ habitu ſuccincta cibum appoſuit, poculum porrexit, aquam manibus infudit, & Regina Orbis ac Mater Imperij famularum Chriſti ſe famulam deputavit. (l) Hanc gratitudinem Deo ſacratæ Hieroſolymitanæ Virgines Sanctiſsimi Sepulchri, Sanctæ Helenæ compenſare volentes, inter alias ſacratas reliquias, Imaginem Beatiſsimæ Virginis, à Sancto Luca depictam eidem donârunt, quam Sancta Helena Filio ſuo, Conſtantinopolim miſit, quæ poſtea Sacra Imago Carolo Magno in munus data, Leoni deinde Ruſsiæ Principi, donata, in Arce Belzenſi in Ruſſia collocata, poſtea in Poloniam tranſlata, & in Claro monte Częſtochovienſi inſignibus hucusq; toto Orbe miraculis claret. (m) Sanctus verò Macarius Patriarcha Hieroſolymitanus, Sanctæ Helenæ, Sancti Stephani Eccleſiæ Hieroſolymitanæ

Lûll in libro Mauſol. S. Iacobi, cap: 11.

(i) *Ioannes Scoglius lib: 4. Annal: Eccl:*

(k) *Theodoretus Hiſt: lib: 1. cap. 18. & Ruffinus Eccl: Hiſt: lib: 10. cap: 8.*

(l) *Ambroſius Nieſſporkowicz in Anacl: Menſæ Reginalis part: 2. cap: 1. & ſequens*

(m) *Andreas du Sauſſay, in Panopl: Cleric: part: 2. lib: 4. c. 5.*

næ Diacõni, tunicam, cum parte ſanguinis ejuſdẽ Prothomartyris dedit, quam Sancta Helena Veſuntionem tranſmiſit.

Cùm autem his & alijs virtutibus exornata eſſet, octogenaria finem ita vivendi fecit, ut beatiſsima quidem *jure* optimo non mori prudentibus videretur, ſed vitam caducam & fragilem cum cœleſti, & æterna re vera commutare. Datis igitur plurimis de pia vivendi ratione Filio ſuo Conſtantino præceptis, & benedictione Materna, anima Sanctæ Matris corporis compagibus ſoluta ad immortalem & Angelicam naturam atq; adeo ad ipſum Salvatorem, circa (n) Annum Domini trecenteſimum vigeſimum ſextum aſſumpta eſt. (o) Tumulata eſt in veſtitu Canoniſſarum Regularium Sanctiſsimi Sepulchri, quem à Sancto Macario ſuſceperat, quinq; milliaribus propè Venetias in Monaſterio noſtri Ordinis Olivæ mons nuncupato. (p) Poſtquam autem hæc Sancta Conſtantini Mater ſepulta, ſtatim poſt hac, atq; etiam nocturnis memorijs, ut par erat, eſt celebrata. Hieroſolymis autem venerandæ illæ Virgines, quibus velut quædam ancilla inſervierat, præcipuis eam memorijs ſolenniter ſunt proſecutæ. Hujus Sanctæ feſtum in univerſa Eccleſia celebratur decima octava Augusti, qua die etiam Ordo noſter ejuſdem San-

ctæ

(n) *Baronius Anno 326. num: 59*

(o) *Dagobertus Patriarcha apud Lûll in libr: Mauſol: S. Iacobi cap: 11.*

(p) *Nicephorus lib. 8. c. 31.*

ctæ Matris festum celebrat. (q) Ponitur etiam in Martyrologio nostri Ordinis his verbis: Decimo quinto Kal: Septembris. Romæ via Lavicana, Sanctæ Matris nostræ Helenæ, Matris Constantini Imperatoris, quæ Crucem Domini reperit, ac multas Ecclesias in honorem Sanctæ Crucis fundavit, nec non in Sancta Religione Sancti Sepulchri Dominicæ Resurrectionis vivens, feliciter in Domino quievit. Sed non solum in Ecclesia Latina, ac universo Ordine nostro, hujus Sanctæ Matris viget memoria, verum etiam & in Ecclesia Græca, festum ipsius duodecimo Kalend: Iulij celebratur. (r) Viget præterea hujus Sanctæ nobilis memoria Romæ in atrio Sessoriano, in Basilica dicta Sanctæ Crucis, quam constat olim appellatam esse, Basilicam Helenianam, (s) & Hierosolymis, ubi in reditu ex Ecclesia ad dextram, conspicitur Oratorium Sanctæ Helenæ, quam Sanctam, Ecclesia Hierosolymitana propter insignia pietatis & religionis merita, eo prosequitur honore, ut in hoc ejus Sacello & supplicationes fiant, & Indulgentia plenaria sit attributa, quod Oratorium Sanctæ Helenæ possident Armeni. Aliæ ferè innumeræ memoriæ hujus sanctæ erant, ut Constantinopoli, itemq; Pontus Polemanicus, sic dictum à Polemone Rege, Helenopontus, ab Helena Matre

(q) *Martyrolog: Hierosolymitanæ Ecclesiæ apud Lûll in libr: Mausol: S. Iacobi cap: 18.*

(r) *Baronius in notat: supra Martyrol: Rom: 18. Augusti.*

(s) *Nicolaus Radivilius in Hierosol: peregrinat: fol: 51.*

Constantini, meruit appellari. Item erat in Bithynia, Civitas Helenopolis ab ea dicta, & aliæ multæ de ea antiquæ memoriæ. Insuper tantæ fuit apud Filium suum Constantinum, æstimationis & amoris, ut numismata cum ejus effigie, ab eodem Constantino in honorem Matris suæ, jussa sunt formari. Nec mirum est tantæ Imperatricis memoriam, tam longè latèq; diffusam esse, cum Deus ipse eandem Sanctam plurimis tàm in vita, quàm post mortem illustravit miraculis, quæ si placet vide apud Auctores, præcipuè apud Surium Septima Februarij. Ex quo Deo Omnipotenti, & Filio ejus Vnigenito, qui in Hierosolymitano Sepulchro dignatus est sepeliri, unà cum Sancto Spiritu, omnis honor, virtus & gloria, Amen.

23. Augusti.

VITA
S. ZACHÆI
Episcopi Hierosolymitani.

SAnctus Zachæus (a) genere Hebræus, antiquæ Originis, qui scientiam Christi fideliter recepit, & ideo incunctanter, ab his, qui

(a) Eusebius Eccl: Histor: lib: 4. cap: 5

qui poterant de fidei merito judicare, Sacerdotio quoq; visus est dignissimus. Hic (b) Canonicus Regularis Ecclesiæ Hierosolymitanæ, (c) ac Discipulus Sancti Iacobi Apostoli, primi Hierosolymorum Episcopi erat, quem Sanctus hic Apostolus, in Presbyterum ad Ecclesiam Hierosolymitanam, consecravit. Manebat hic Sanctus Hierosolymis, temporibus Simeonis & Iusti Episcoporum Hierosolymitanorum, continuò uti Religiosus proficiens, dæmonibus terribilis erat; quare ad prolationem ipsius Nominis, de corporibus exulare cogebantur, signo crucis, multa populo morbis vexato, remedia contulit, concurrebant ad Sepulchrum Christi, cæci, claudi, surdi, leprosi & alijs morbis affecti, ipsius precibus se redire incolumes lætabantur; Nomen ejus in tota Palæstina celeberrimum fuit, & velut Angelus Dei, ab omnibus habebatur. Assiduus in Oratione erat, & in vigilijs sanctis, præcipuè ad Sepulchrum Christi pernoctabat. (d) Cùm vero Sanctus Iustus Hierosolymitanus Episcopus, ex hac vita migrasset, in ejus locum Zachæus, Anno Domini centesimo decimo tertio suffectus est, eratq; in Ordine Episcoporum Hierosolymitanæ Ecclesiæ, numero quartus. Factus Episcopus, in Presbyteros ordinavit suos Hierosolymitanæ Ecclesiæ Clericos Regulares, nimi-

(b) Ioannes Le Paige in Biblioth: Præmonstr: folio 139.

(c) Michäel Prapos: Wyssogrod: ex libr Tabula Hierosolym: dicto.

(d) Baronio Anno 119.

nimirum Beniamin, Matthiam, & Ioannem, cum quibus diem Resurrectionis Domini, summa devotione celebrabat, ad quam sanctiùs obeundam, aliquot diebus jejunijs se præparabat. In persecutionibus, quæ fiebant in Ecclesia, Sanctus hic Præsul patientissimus, in quibus magnum desiderium habuit moriendi pro Christo. Dicebat sæpenumerò: Vtinam mihi liceat obire martyrium, utinam esset tempus, ut martyrium pro Christo possem suscipere, vellem enim amore Iesu detruncari, & comburi, cujus hæc fuit exaudita à Domino oratio, cùm sub Trajano Imperatore, multas persecutiones sustinuerit. Continuus hic Sanctus Episcopus in prædicatione, & doctrina Verbi Divini fuit, nunquam tamen ex Cathedra Sancti Iacobi docuit, ob reverentiam tanti Magistri. His & alijs fractus laboribus, & præcipuè cum esset vitæ provectæ, & vidisset Hierosolymitanam Ecclesiam dira persecutione vexatam, jam animam exhalaturus, adstantibus sibi Clericis Regularibus Hierosolymitanæ Ecclesiæ, quos ad patientiam, amorem Dei, & proximi adhortabat, migravit ad Dominum, cujus Corpus post mortem plurimis Deus illustravit miraculis. Hujus Sancti memoria in Martyrologio Romano, recolitur die vigesima tertia Augusti, qua die etiam Ordo noster, ejusdem

San-

Sancti festum celebrat. Ex quo Deo Omnipotenti, & Filio ejus Vnigenito, qui in Hierosolymitano Sepulchro dignatus est sepeliri, unà cum Sancto Spiritu omnis honor, virtus, & gloria, Amen.



VITA
S. VRBANI IV. Papæ.

30. Septemb:

SAnctus Vrbanus Papa Quartus, (a) Iacobus Pantaleon antea vocatus, fuit natione Gallus, Patria Trecensis, quæ Campaniæ Vrbs est, humili loco natus, ex Patre Sutore Veteramentario, (b) sed literis ac *jure* Canonico & Theologia apprimè eruditus, animiq; magnitudine, consilio & morum gravitate conspicuus. Hic Sanctus humile genus suum evexit, (c) cum primò Ordinem Canonicorum Regularium, Custodum Sanctissimi Sepulchri ingressus, tandem Ecclesiæ Cathedralis Leodiensis, (d) quæ erat Canonicorum Regularium, Archidiaconus, ac tandem Virdunensis Episcopus factus. De quo legitur, (e) cùm quidam ipsi aliquando viles natales objecissent, præclarè respondisse: Virum non

(a) *Platina de vitis Pontific: fol: 203*

(b) *Spondan9 Annal: Eccl: tom: 1. Anno 1261. nũ: 4. 5.*

(c) *Nakielski de Sacra Antiquit: lib: 3. cap: 7. fol: 183.*

(d) *Gorczyński sub schemate 10. nũ: 69.*

(e) *Spondanus Annal: Eccl: tom: 1.*

Anno 1261. num: 2.

(f) *Nakielski in Miechovia fol: 169. & sequentibus.*

non nasci, sed virtute fieri nobilem. Cum autem (f) Innocentius Quartus Pontifex Maximus, à Friderico Imperatore vehementer exagitaretur, idem Sanctus, ab eodem Pontifice Legatus in nostram Poloniam mittitur, tum ad res Polonicas componendas, tum ut Pontifici ab Imperatore afflicto aliquid subsidij corrogaret; Itaq; convocata Vratislaviam Episcoporum Synodo, impetravit, ut quinta pars, redituum Ecclesiasticorum ex tota Polonia, in triennium ei decerneretur. Relaxavit pro tunc idem Sanctus Legatus, Polonis partem jejunij ejus, quod est solenne, cunctis Christianis ante Pascha. Nam quum id totis novem hebdomadis, veteri Pontificum instituto vulgo servarent, indulsit ut deinceps esset hebdomadarũ sex & dimidiæ. Tandem (g) mortuo Roberto Patriarcha Hierosolymitano, Sanctus Vrbanus ex corpore Canonicorum Regularium, Custodum Sanctissimi Sepulchri, in ejus locum suffragio eorundem Canonicorum, suffectus est. In Patriarchatu existens Gerrardum Pragensem, sextum in Ordine Præpositum Miechoviensem Ordinis nostri, in eam dignitatè confirmavit, (h) scripsit autem cùm esset Patriarcha de Terra Sancta librum, quo usus est Adrichomius in conscribendo Theatro Terræ Sanctæ, & Metaphrasim in Psalmum quinquagesimum,

(g) *Nakielski de Sacra Antiqui lib: 3. cap: 7. fol: 183.*

(h) *Spondanus tom: 1. Anno 1261. n. 2, & sequent:*

gesimum, quæ habetur in Bibliotheca Veterum Patrum. Ac tandem mortuo Alexandro IV. Pontifice Maximo, Cardinales Sacrum Conclave ingressi, Divino instinctu Iacobum Pantaleonem Patriarcham Hierosolymitanum, negotia tunc Ecclesiæ suæ in Curia Romana procurantem, communibus suffragijs in Pontificem elegerunt, & Vrbani Quarti Nomine salutatum, quarto Kalend: Septembris, Anni millesimi ducentesimi sexagesimi primi, Viterbij in Tuscia, ubi tunc propter tyrannidem Manfredi Regis Siciliæ, & potentiam Gibelinorum, Ecclesiam persequentium, Romana Curia erat, diuq; permansit inaugurarunt. Hic cùm factus esset Pontifex, statim postridiê suæ consecrationis, nempe nonis Septembris, ad Sanctum Ludovicum Francorum Regem, Remensemq; Archiepiscopum & Suffraganeos ejus, itemq; ad reliquos Principes Christianos & Prælatos Ecclesiarum, de assumptione sua literas dedit, orationes omnium pro optimo Pontificatûs regimine postulans, quales etiam literas dedisse reperitur ad Agnetem Sororem suam, Monialem Clarissam, Monasterij Montis Lucidi juxta Perusium, sequenti autem Mense nempè Decembri, octo creavit Cardinales, vitâ & scientiâ illustres. Ac tandem cum Sancta Sedes (i) Manfredi Siciliæ

(i) Idē Anno 1262, n. 1.

R Re-

Regis, Romanæ Ecclesiæ hostis potentia & vi præcipuè vexaretur, Sanctus Pontifex, contra ipsum Anno Christi millesimo ducentesimo sexagesimo secundo, Sedis suæ Anno primo, Italiam ab armis & machinationibus ejus liberando resq; Romanæ Ecclesiæ recuperando, post quam nec nuntijs, nec minis, nec diris aliquid se proficere animadvertit, Crucem in eum ubiq; prædicari *jussit*. Ad quod plurimi in Italia, ipsoq; etiam regno Apuliæ, Auctore Rogero Sanseverino excitati, arma pro Ecclesia assumpserunt. Misit etiam Sanctus Pontifex in Gallias ad Regem Legatum, tanquam ad defensionis suæ dexteram, ut loquitur Nangius, validæ inde mox copiæ Cruce signatorum accesserunt, Ducibus Gvidone Episcopo Antisiodorensi, Richardo Comite Vindociniensi, & Roberto Filio Comitis Flandriæ, quæ & Teutonicos cæterosqué Manfredianos in Lombardia transitū impedire conantes facilè fregerunt, & inde Viterbiū nullo obice ad Pontificem pervenientes, accepta ejus benedictione, Saracenorum Exercitum ex agro Spoletino, & Campania nullo negotio expulerunt. Cum inter hæc tumultuantibus denuo Romanis, Cruce signati revocati à Pontifice, ad defensionem cæterarum terrarum Ecclesiæ, paulo post, defectu sti-

ſtipendiorum ad ſua ſe receperunt, & Manfredus ab Eccleſiæ rebellibus evocatus, quorum etiam nonnulli, ipſum Sanctum Pontificem ei in manus tradere promiſerant, cùm ſolis Saracenis ire habuit, à cujus furore ſibi timens Pontifex, Viterbium, Veterem ac Nobiliſsimam Tuſciæ Vrbem accedens, (k) loci aſpectu & ſecuritate delectatus, eſt enim in ſummo ſaxo poſita & ad expugnandum difficillima; diu in ea cum Romana Curia permanſit. Vbi à Civibus Vrbevetanis honorificentiſsimè ſuſceptus, Monaldenſes & Philippenſes primarios Vrbis Cives, bello Civili inter ſe laborantes, in concordiam redegit, & dum vixit eam conſervavit. Vrbem ſibi & Romanæ Eccleſiæ fideliſsimam varijs ædificijs tum publicis, tum privatis, multis item privilegijs exornavit. A fundamentis autem ædificavit ſuperbas illas ædes Pontificias in loco, qui dicebatur Solianum, propè Sanctam Mariam Priſcam, quarum adhuc parietes ſuperſunt. Ibidem etiam Concilium, ſive multorum Prælatorum Conventum celebravit, in quo inter cætera tractatum eſt, quanam ratione Sancta Sedes Apoſtolica à Manfredi potentia & tyrannide ſe tueri poſſet, decretumq; ut Carolus Ludovici Francorum Regis Frater, Provinciæ Comes & Dux Andegavenſis in Italiam contra

(k) *Platina de vitis Pontific: fol: 203.*

Manfredum cùm Siciliæ Regis titulo evocaretur, Cardinali Legato ad illum ob eam rem missio, quod postea sub Clemente Quarto factum est.

Hoc cum perageret, omnem animum convertit ad stabiliendum, & exornandum Ordinem Canonicorum Regularium, Custodum Sanctissimi Sepulchri. Is enim diplomata multa eo ipso anno, quo Pontifex factus est, Religioni nostræ attribuit, quibus privilegia à Superioribus Pontificibus concessa, vel explicavit, vel auxit. Ac verò imprimis editam ab eo Constitutionem, quâ universum Ordinem Sancti Sepulchri eximit ab omni impetitione fori sæcularis. Deinde secundam Constitutionem edidit, quâ Ordinem Sanctissimi Sepulchri ab omni exactionum & contributionum, quocunq; nomine censeantur gravamine, liberum decernit. Edidit & tertiam Constitutionem, quâ universum Ordinem Sanctissimi Sepulchri eximit à præstanda procuratione, & quolibet subsidio Archiepiscopis, Episcopis, cæterisq; Ecclesiæ Prælatis; Iterum edidit idem Sanctus Pontifex & quartam Constitutionem, quâ liberas facit Ecclesias, Canonicorum Regularium Sanctissimi Sepulchri, à solutione Decimarum & exactionibus insolitis, & quòd liceat de suo gremio Canonicos Sanctissimi

ſsimi Sepulchri, prætermiſsis ſæcularibus Clericis, ad regimen ſuarum Eccleſiarum præſentare. Porro ſicut in totum hunc Ordinem, hujus Sancti Pontificis, penè paternus erat affectus, ita & erga Conventum Sanctiſsimi Sepulchri Miechovienſem, effuſa hujus Pontificis erat liberalitas. Ac primo omnes donationes & conceſſiones bonorum ac poſſeſsionum, Canonicæ Miechovienſis quovis prætextu, quibuscunq; Perſonis factas, revocat, irritasq; eſſe decernit, pro quarum reſtitutione in contradictores cenſuras Eccleſiaſticas promulgari mandavit. Secundò omnes Eccleſias & perſonas, ad Canonicam Miechovienſem ſpectantes, à quibuſvis exactionibus, & cenſuris Eccleſiaſticorum, liberas facit. Tertiò idem Sanctus Pontifex, indulget Clericis Regularibus Miechovienſibus in Eccleſiis juriſdictioni ſubjectis, curam & regimen animarum (non obſtante quòd hæ aliquando per ſæculares Clericos gubernarentur) licitè poſſe obire. Quartò idem Sanctus Pontifex, conceſſit Clericis Miechovienſibus, liberam in eorum Eccleſijs, tempore generalis interdicti, ſepeliendi poteſtatem. Quintò idem Pontifex edidit Conſtitutionem, quâ confirmat Decimas ad Eccleſiam Miechovienſem ſpectantes ex vi fundationis. Sextò idem Sanctus Pontifex, indulſit Ca-

nonicis Sanctissimi Sepulchri Miechoviensibus usum altaris portatilis. Septimò idem Pontifex Vrbanus Quartus, edidit Bullam, quâ Canonicam Miechoviensem cum annexis sibi membris ab omni *jurisdictione* Archiepiscoporum, Episcoporum, & quorumlibet Prælatorum exemptam esse voluit. Insuper idem Summus Pontifex, non tantùm Conventum Miechoviensem plurimis exornavit gratijs, verùmetiam & alia membra à Conventu Miechoviensi, uti suo Capite dependentia, Auctoritate Pontificia confirmavit. Nimirum edidit Bullam in confirmationem fundatæ, & in perpetuum regimen Conventûs Miechoviensis traditæ Canonicæ Nissensis, Ordinis Canonicorum Sanctissimi Sepulchri, id totum ratum ac firmum habere decernens, quidquid ex mente Fundatoris in rem dictæ Canonicæ statutum sit. Edidit & pro Conventu Gnesnensi, Canonicorum Regularium Sanctissimi Sepulchri, à Principibus Majoris Poloniæ fundato, atq; in perpetuam curam & regimen Conventui Miechoviensi, ac Canonicis Sanctissimi Sepulchri tradito, binas Bullas, quibus prædictam fundationem ac amplas ejusdem Conventûs possessiones confirmat. Sunt & aliæ plurimæ hujus Sancti Pontificis tàm pro universo Ordine Canonicorũ Sanctissimi Sepulchri, quàm pro Conventu Miecho-

choviensi ejusdem Ordinis rescriptá, ut videatur Sancti Pontificis erga suum Ordinem, quem erat professus, planè effusa liberalitas, & penè paternus in illum affectus. Non prætermisit Sanctus Vrbanus etiam & alios Sacros Ordines; sed omnes, sicut hunc suum, ita & alios Sacros Ordines multis beneficijs ditavit. Exstruxit Ecclesiam & Monasterium Ordini Sancti Augustini, Ecclesias verò Minorum, & Prædicatorum restituit, & ampliavit. (l) Concessit Abbati Congregationis Monachorum Montis Virginis, Ordinis Sancti Benedicti, utendi mitrâ, baculô, benedictione sollenni & alijs Pontificalibus. Iam autem Sororibus Sanctæ Claræ nuncupatis, instituit secundam Regulam, seu potius mitigavit primam regulam, à Beato Francisco pro ejusmodi Sororibus traditam.

(l) *Angelus Maria Cherubinus in Bullario Rô: tom: 1, fol: 122.*

Non prætermisit hic idem Pontifex, & res Orthodoxæ fidei per universas occidentis Ecclesias illustrare, & in hominum pectoribus depangere, (m) instituta celebri solennitate Corporis Christi, ad feriam quintam, post octavas Pentecostes, idq; ad Hæresim contrariam, verbo simul & facto impugnandam, quæ his temporibus, Venerabili Sacramento debitum cultum indebitè adimebat. Fueritne autem Sanctus Vrbanus, ad hanc festivitatem Christi instituendam, Religio-

(m) *Dominicus Tempesta Rom: in vitis Pontific: fol: 315.*

sæ cujuspiam Mulieris instinctu ac revelatione, ut asserit Molanus, vel potius miraculosa Sanguinis Christi effluxione, dum in Vrbe Veteri apud Vulsinios, quidam Sacerdos sacra faciens, de Panis & Vini transsubstantiatione dubitaret, invitatus, aliorum judicium esto. Ad quod factum recognoscendum & probandum, duo illa Ecclesiæ lumina, Sanctus Thomas Ordinis Prædicatorum, & Sanctus Bonaventura Ordinis Minorum, qui tunc florebant, à Sancto Vrbano missi, omnia probarunt. Vt autem perennis hæc esset institutio, cavit id lege Vrbanus, edita Constitutione, in qua enarrat plura beneficia, nobis à Deo collata, in Sacramento Eucharistiæ, hortaturq; omnes ad devotè eandem Festivitatem recolendam, insuper Indulgentias magnas, devotè hanc festivitatem obeuntibus, concessit. Porro ad conscribendum, tantæ celebritatis Sanctissimi Corporis Christi officium, Divus Thomas ab Aquino, Auctoritate Sancti Vrbani, delectus fuit. Idem quoq; Pontifex, ut Auctor est Buchingerus, Cruci Sanctæ, in qua pependit Salus nostra, diem solennem dedit. Quò ad alias Vrbani Papæ res gestas, quarum est memoria in ejus Epistolis, (n) cùm inter cætera accepisset Conradinum, Friderici olim Imperatoris nepotem, Ducem Sveviæ, in discordia duo-

(n) *Spondanus tom: 1. Anno 1262. num: 4.*

duorum Imperij competitorum, Alphonsi Castellani, & Richardi Angli, ad illud aspirare, renovans olim prohibitionem factam ab Alexandro Decessore suo, Electoribus Imperij, ne quid tale cogitarent, scripsit potissimum Premyslao Othocaro Bohemiæ Regi, cujus maxima erat totâ Germaniâ auctoritas, atq; Electoribus Ecclesiasticis, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, omninò præcipiens, ne ullo unquam tempore vel nominarent, vel eligerent, aut nominari, vel eligi tolerarent Conradinum, tum quòd Friderici Ecclesiæ hostis nepos esset, tum ne juribus eorum, qui jam electi fuerant, aliquod præjudicium fieret. Crucis quoq; militiam cōtrà Græcos Schismaticos indixit; Ludovicum Francorum Regem, ejusq; Regni Prælatos, cæterosq; pariter alibi Principes, ac Præsules ad subveniendum Latinis Constantinopoli ejectis, pia aliqua contributione hortatus est. Genuenses auxilia Palæologo contra Venetos ferre severè prohibuit, & ab ejus amicitia recedere pluribus scriptis literis præcepit. Gubernatores Regni Cypri monuit, Græcos & Syros eam insulam incolentes compescere à rebellione in Archiepiscopum Latinum Nicosiensem, & ut ei morigeros se se exhiberent coëgit, secundùm leges concordiæ inter ipsos olim Auctoritate Apostolica stabilitæ.

Regem Norvegiæ, ut Provincijs, quibus Tartarorum exercitus imminebant, ſuccurreret, admonuit. Conſtitutiones contrà Hæreticos, & de Inquiſitorum auctoritate promulgavit. Richardum Epiſcopum Ciceſtrenſem in Anglia, ante aliquot annos vitâ functum, atq; ſanctitate & miraculorum gloria conſpicuum, in Sanctorum Confeſſorum numerum retulit, cum inſtitutione illius feſtivitatis pro die tertia Aprilis. Contentiones inter Richardum Anglum, & Alphonſum Hiſpanum, de Imperij dignitate, ad concordiam reducere tentavit. Res quoq; Eccleſiæ & Imperij Sanctus Præſul reſpiciens, cùm Michaël Palæologus Imperator Græcorum, conſiderans omnes Latini nominis gentes, ab ipſo Vrbano Pontifice adversùs ſe concitari, ſibi non ſine cauſa timens, Legatos ea de re ad Sanctum Pontificem miſit, rogans unionem Eccleſiæ Græcæ cum Latina; Sanctus Pontifex ne officio deeſſe videretur, electos ad id, ſub finem Menſis Iulij, quatuor Fratres Ordinis Minorum, Viros pios & eruditos legavit, cum literis multa eruditione, doctrinam fidei, & bonum unionis explicantibus, quibus & eas amplecti, atq; interim à perſequendis reſiduis Latinis deſiſtere hortatus eſt. Accidit autem ut cùm idem Palæologus Imperator, ſive ex animi propenſione, ſive magis

gis ex vexatione, unionis desiderium ardentius expetere videretur, Nicolaum Crotoniensem in Magna Græcia ad Sinum Tarentinum Episcopum, natione Græcum, apprimeq; doctum & pium ad Vrbanum Pontificem misit cum literis, quibus Sanctum Vrbanum, Patrem Patrum, Beatissimum Papam Veteris Romæ, Patremq; Imperij, & Sacrosanctæ atq; Apostolicæ Sedis Summum Pontificem, in epigraphe agnoscens & nominans, in ipsa Epistola summoperè deprecabatur, quatenus, sicut Princeps omnium Sacerdotum, & universalis Doctor Ecclesiæ Catholicæ, solicitaret unionem ejusdem Ecclesiæ, cui loco Beati Petri, Deus præcipuè ipsum præfecisset, promittens se, omnes gentes & Patriarchales Sedes sui Imperij, ad obedientiam & devotionē ejus subjecturum, ac demum rogans, ut ei rei peragendæ confestim prædictum Nicolaum, cum alijs Apostolicæ Sedis Legatis, ad se remitteret. Quod Vrbanum libentissimo animo, & magna unionis spe præstitisse intelligitur, ex ejus ad illum rescriptis literis, per eundem Nicolaum, ac duos alios Fratres minores, Decimo Calendas Iunij, Anni tertij suæ Sedis.

Interim Sanctus Vrbanus Pontifex Maximus, postquam multa laude digna pro universali Ecclesia edidisset, Ordinemq; Canonicorum Regu-

larium, Custodum Sanctissimi Sepulchri, quem professus fuerat, tot tantisq; gratijs Apostolicis exornasset, Perusij ad vitæ periodum perductus, obijt sexto nonas Octobris, Anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo quarto, cùm Pontificatum Annis tribus, diebus triginta quatuor administrasset, & in Cathedrali Basilica Perusij, quæ erat Canonicorum Regularium sepelitur. Ante hujus Sancti Pontificis obitum, teste Matthæo Palmerio, & nostro Ioanne Dlugosso, Stella crinita, quam Cometem Græci vocant, insigni magnitudine apparuit, quæ nocte ipsa, quâ Sanctus Vrbanus Pontifex obijt, extincta est. Plura de hoc Sancto Pontifice à Trecensibus petantur. Cum & ab his Sanctus Vrbanus nominatur, & in ejus honorem Ecclesiam ædificârunt in medio Civitatis, in loco domicilij, sive nativitatis ejus, celebraturq; Trecis festum ipsius, anniversaria devotione, pridie Kalendas Octobris: Vide Catalogum novum Sanctorum, jussu Vrbani Papæ Octavi editum, die ultima Septembris. Item natales Belgij, (o) eodem die, ubi hæc verba de eo proclamantur: Perusij obitus Beati Vrbani Papæ Quarti, qui per varios honores, ad apicem Ecclesiasticæ dignitatis ascendit, primùm enim Iacobus de Trecis dictus, Leodij resedit Archidiaconus, postea

Vir-

(o) *Molanus in natalibus Belgij 30. 7bris.*

Virduni Epiſcopus, tertiò Hieroſolymis Patriarcha, ad extremum Maximus Pontifex renuntiatus eſt. Scripſerunt ejus vitam illius temporis, nempè Gregorius, Decanus Eccleſiæ Bajocenſis ſoluta oratione, & Theodoricus Vallicolor, Pòëta haud ignobili carmine. Scribunt aliqui hunc Sanctum Pontificem, eſſe Ciſtercienſis Ordinis, & ego ipſe vidi in Ciſtercienſi habitu depictum. Contra quos adfero teſtimonium Auctoris ex Ordine Ciſtercienſi, Reverendiſsimi Ferdinandi Vghelli Florentini, Abbatis Sanctorum Vincentij, & Anaſtaſij, ad aquas Salvias, Ordinis Ciſtercienſis, qui in libro Italia Sacra intitulato, in numeratione Pontificum Romanorum, de eodem Sancto Vrbano Quarto ſic ſcribit: Non deſunt qui dicant, hunc Pontificem, Ciſtercienſis Ordinis fuiſſe Alumnum, ſed hallucinantur. Cui nos teſtimonio, uti Auctori ipſorum Ordinis domeſtico ſubſcribentes, eundem Sanctum, prout ſuprà oſtendimus, eſſe Ordinis Canonicorum Regularium Sanctiſsimi Sepulchri, firmiter tenemus.

Tom: 1. Provinc: 1. fol: 39. num: 181. ſub lit: C.

Ex quo Deo Omnipotenti, & Filio ejus Vnigenito, qui in Hieroſolymitano Sepulchro dignatus eſt ſepeliri, unà cum Sancto Spiritu, omnis honor, virtus, & gloria, Amen.

VITA
Sancti MARCI Episcopi & Martyris.

22. Octobris.

SAnctus Marcus, (a) ex Gentibus oriundus, cùm fidem sanctam amplexatus esset, (b) etiam Religioni Sanctissimi Sepulchri, Canonicorum Regularium, suum nomen per professionem inscripsit. Cùm autem Episcopi Hierosolymitani, qui ex circumcisione erant, deficerent, ille primus ex Gentibus Episcopatum illius Ecclesiæ accepit, eratq; in Ordine Episcoporum Hierosolymitanæ Ecclesiæ decimus sextus. Tantùm autem sub ipso Ordo Clericorũ Regularium Sanctissimi Sepulchri multiplicatus fuit, ut idem Sanctus Præsul dicatur, (c) multorum Religiosorum Venerabilis Pater: ad Passionem Christi plurimùm devotus erat, unde etiam non dissimili, quâ Christus pro fide sancta morte obijt, quod etiam & miracula comprobarunt. Cùm enim Adrianus Imperator alijq; sex Reges, qui ei venerunt in adjutorium cum triginta millibus exercituum, Sanctum Episcopum cum Alexandro & Socijs, quos ha-

(a) Eusebius Eccl: Histor: lib: 4. c. 7.
(b) Lûll in lib: Mausol: S. Iacobi c. 9. & Le Paige in sua Biblioth: fol: 119.

(c) Michaël Trapposit: Wysßogr: de eodem Sancto ex lib: Tabula Hierosol: dicto.

habuit decem millia, & quorum Sanctus Marcus Dux, Pater & Episcopus erat ad se adducere *jussisset*, (d) & eosdem Sanctos ad sacrificandum Idolis compellere voluisset, responderunt: Sacrificium verum & immaculatum offerimus nosmet ipsos Domino nostro IESU Christo, qui pro humano genere nasci dignatus est, & descendere de Cœlis, & multis malis affligi, & ad ultimùm voluit etiam pro nobis Crucifigi, quem tu miser ignoras. Tum iratus Imperator, *jussit* eosdem Sanctos duci ad montem magnum, qui vocatur Ararat, distans ab Alexandrina Civitate quingentis quasi stadijs, ubi eosdē Sanctos crudelissimus Tyrannus, *jussit* diutissimè omnibus tormentis, quæ passus est Dominus IESUS Christus, torqueri & ad ultimum crucifigi. Sanctus autem Marcus in Cruce pendens, etiam in Cruce prædicabat, & ad majorem suos hortabatur patientiam: Illius ad martyres sunt verba: (e) Filioli mei! appropinquat tempus, quando Deum oculis spiritualibus videbimus, illo fruemur, & æternam beatitudinem obtinebimus, nunc tempus breve passionis nostræ, post quod peractum, æternitas beata nos manet, quam Deus appromisit in se credentibus; Cui omnis multitudo Martyrum respondebat: Amen. Cùm igitur Sancti Martyres, adhortatione

(d) *Iacobus de Voragine in legendis Sanctor: fol: 110.*

(e) *Michaël Præpos: Wyssogr: ut supra.*

ne

ne Sancti Marci forti animo & fide firmiſsima, talia genera tormentorum, qualia Chriſtus Dominus pro nobis paſſus eſt ſuſtinuiſſent, Deus ipſorum Martyrium talibus illuſtravit miraculis, qualia etiam, dum in Cruce pendebat Salvator, patrata ſunt. Nimirum horâ ſextâ illius diei, terræ motus factus eſt magnus, petræ ſciſſæ ſunt, Sol obſcuratus eſt, & omnia ſigna, quæ in Paſſione Domini viſa fuerunt, & ibi viſa ſunt. (f) Tunc Sanct⁹ Marcus, nomine omnium Martyrum ut Patriarcha, fundens orationem ad Dominum, dixit: Domine Deus memento noſtri in hoc patibulo Crucis, & ſuſcipe petitionem noſtram, & ea, quæ à te expoſcimus, nobis concedere digneris, ut quicunq; memoriam noſtri, corde & ore cum jejunio & devotione celebraverint, mereantur à te aſsequi fructuoſam mercedem, tribuendo eis ſanitatem corporum, medicamen animæ, & in domibus eorum intus & foris bonorum omnium ubertatem concede. Etſi in prælio fuerint, non eis nocere prævaleant inimici viſibiles & inviſibiles, te pro eis pugnante, ſed ſicut placeat tibi, armis tuis eos protege. Dieſq; unius jejunij noſtræ paſsionis, unum pœnitentialem annum compleat obſervantibus, & hoc Dominator Domine, â te poſcimus, diſsipa omnem occupationem & immundum ſpiritum, omnemq;

(f) Lect. ex Breviar: antiquo S.mi Sepulchri.

omnemq; infirmitatem eorum expelle, quoniam gloriosum & laudabile est Nomen tuum, per omnia sæcula sæculorum. Et respondentibus omnibus Amen, facta est vox de Cœlo dicens: Quæ petistis dilectissimi mei, scitote vos impetrasse. Gaudete quoq; & lætamini, quoniam orationes vestræ coram Christo & immortali Rege veraciter sunt exauditæ. Et his dictis in Confessione Sanctus Marcus Præsul & Martyr, unâ cum Socijs emisit spiritum. Cujus memoriam universalis Ecclesia in Martyrologio Romano die vigesima secunda Octobris celebrare non desinit. Qua die etiam Ordo noster ejusdem Sancti Martyris festum celebrat. Ex quo Deo Omnipotenti, & Filio ejus Vnigenito, qui in Hierosolymitano Sepulchro dignatus est sepeliri, unà cùm Sancto Spiritu, omnis honor, virtus, & gloria, Amen.

VITA S. NARCISSI Episcopi Hierosolymitani.

29. Octobris.

SAnctus Narcissus, (a) primò Canonicus Regularis Hierosolymitanæ Ecclesiæ, cùm in vita

(a) Ioannes LePaige in sua Biblioth: fol: 139.

vita Religioſa & ſanctitate omnibus præluceret, poſt Dolichianum ejuſdem Eccleſiæ Hieroſolymitanæ Epiſcopum, ad illam Cathedram à Canonicis Regularibus Sanctiſsimi Sepulchri eligitur. Factus Epiſcopus erga Sepulchrum Chriſti maximè devotus fuit & ſollicitus, (b) cùm enim ſemel in magna & ſolenni Paſchatis vigilia, oleum luminaribus defuiſſet, & id per miniſtros innotuiſſet, mæror plebi maximus fuit. Sed Sanctus Narciſſus erga Monumentum Chriſti devotus, fide magna fretus, miniſtris imperat, ex propinquo puteo aquam haurire, & ſibi deferri. Cùmq; detuliſſent, Sanctus Epiſcopus oravit, & benedixit aquam, & infundi luminaribus præcepit. Tum repentè miro & ſæculis inaudito genere virtutis, natura aquæ, in olei pinguedinem verſa, ſplendorem luminum, etiam ſolito reddidit clariorem. Ex quo temporè id oleum à Canonicis Regularibus Sanctiſsimi Sepulchri, tum à plurimis alijs, miraculi gratiâ diutiſsimè eſt ſervatum. (c) Cùm verò Epiſcopi regionis Aſianæ, morè Iudæorum decimâ quartâ lunâ, quando ſcilicet Iudæis agnus præcipitur immolari, Paſcha celebrari vellent, at cùm hæc indulgentia, hæreſis validandæ eſſe videretur occaſio, Sanctus Narciſſus unà cum Theophilo Cæſareæ Palæſtinæ Epiſcopo, juſſu & auctoritate Victo-

ris

(b) *Nicephorus Caliſtus, Eccl: Hiſtor: libr: 5. folio 215. Surig 29 8br: Euſebig lib: 6. Eccli Hiſt: fol: 139.*

(c) *Baronig Annal: Eccl: Anno 198. n. 14. & ſequ:*

ris Papæ, Concilium in Palæstina indixit, in quo decrevit, ut secundùm traditiones Apostolicas die Dominico, in quo Dominus resurrexit à mortuis, Pascha celebretur, (d) super quo & Epistolas & Exemplaria hujus Concilij, per omnes Ecclesias transmisit. (e) Florere sibi videbatur Hierosolyma, cùm Narcissum haberet Pontificem, odore virtutis charissimum patriæ, & acceptissimum. Sed ex tam pulchro flore, pessima aranea invidia, venenum sibi suxit. Cùm enim quidam nequam perditi homunciones, gravem & severam eam rationem, quâ per universam vitam, tum in hominibus acritèr admonendis, tum in eorum vitijs corrigendis uti Sanctus Præsul consuevit, ne utiquam ferre possent, præ metu, ne ipsi propter infinita scelera, quorum sibi ipsis conscij erant, judicati à Narcisso, pœnas luerent, cœperunt contrà Sanctum Præsulem, consutis dolis conspirare, & turpem quandam criminationis calumniam, in eum conijcere: deinde quo magis auditoribus, criminationis falso objectæ, fidem facerent, eam jure jurando confirmare, atq; unus sic dejerare: Si nō verè dixerim, opto, ut ignis incendio miserè dispeream. Alter vero sic: si non verè dixerim, opto, ut fœdo ac sævo morbo corpus absumatur. Tertius autem hoc modo: opto, si

(d) Eusebius lib: 5. Hist: Eccl: cap: 25

(e) Andreas Brüner in Fasto Mariano 29 8br:

non verè dixerim, ut luminibus penitus orbatus ſim. Verùm quamvis nemo ex fidelibus, propter nobilitatam ac teſtatam inter omnes omnino, Narciſsi caſtimoniam, atq; adeò ob vitæ rationem ex virtutis regula traductam, illis vel graviſsimo jure jurando ſe obſtringentibus, animum aut fidem adhibuerit, Narciſſus tamen, partim præ indignitate objectæ criminationis, partim præ cupiditate vitæ, in ſapientiæ ac virtutis ſtudio degendæ, quam jam diu optaverat, ab oculis univerſæ multitudinis ſe penitus removit, & in ſolitudine, locisq; deſertis, ad multorum annorum ſpatium vitam, tranſegit. (f) Verùm ſublimis illæ Divinæ juſtitiæ, ultionisq; obtutus, his ſceleribus patratis minimè acquievit, ſed quàm celerrimè impios illos & nequã homines, qui inter jurandum, tam diris execrationibus ſe contra ſeipſos obligaſſent, gravibus calamitatibus oppreſsit. Primus igitur illorum, ſcintilla per exigua noctu in ædes, quibus inhabitabat, ex nulla cauſa antegreſſa ſubitò ruente, miſerè cum tota familia, & ſtirpe ſua, rapido flammarum ardore omninò conflagravit. Alterius corpus, eodem morbo, quem ſibi, tanquam mulctam fore imprecatus eſſet, ab extremis pedum digitis, ad caput usq; infectum contabuit. Tertius ærumnoſos piorum eventus aſpiciens, & Dei, qui oculis omnia intuetur,

(f) Freculphus Episcop: Chron: tom: 2. lib: 2. cap: 27.

tur, inevitabilem ultionem admodùm reformidans, palam inter omnes, maleficia communiter à ſe, ſuisq; ſocijs per fraudem contrà Sanctum Narciſſum admiſſa, confeſſus eſt: Sed tamendum pro delicto gravisſimè condoleſcebat, tantis & tam acerbis lamentis ſe afflictavit, & usq; eo lachrymas effundere non deſtitit, quo ad utrumq; oculum ſibi penitus extinxiſſet. Sanctus autem Narciſſus, cùm ſe in locum deſertum ſubduxiſſet, & à nemine eſſet pro certo cognitus, quo ſe recepiſſet, his qui finitimis Eccleſijs præerant, viſum fuit, ut alterum Epiſcopum ſuffragijs crearent. Dius igitur (hoc enim ipſi nomen erat) delectus eſt. Cui non longo tempore, Eccleſiam Hieroſolymitanam gubernanti, ſucceſsit Germanion: quo mortuo Gordius Epiſcopatum Hieroſolymitanum obtinet. Cujus temporibus Sanctus Narciſſus, tanquam ex mortuis ad vitam denuò revocatus, à Canonicis Regularibus Sanctiſsimi Sepulchri, (quippe omnes deinceps, tum quòd tam placido, ac quieto animo, falſo accuſatus deceſſerat, tum quòd ſingulari Divinæ Sapientiæ & Virtutis amore flagrabat, tum præterea omnium maximè, quòd Deus de ejus accuſatoribus debita ſupplicia ſumere dignatus eſt, in majorem ſui admirationem, rapiebat,) ut Hieroſolymitanæ Eccleſiæ gu-

gubernacula denuo susciperet, vehementer rogatus est. Sed cùm Narcissus non ampliùs propter ingravescentem ætatem, ministerio præesse posset, Deum summoperè Sanctus Præsul rogavit, ut dignum & sanctum in hac Sancta Ecclesia accipiat Successorem, (g) ideoq; Deus Beato Narcisso per revelationem aperuit, ut Alexandrum Cappadocum Episcopum accipiat Successorem. Cùm autem in locis desertis Sanctus Præsul degisset, cum Sancto Antonio Ægyptio, & cum Cronio Comite Sancti Antonij familiarissimus fuit, (h) cui etiam ad annorum numerum, annos undecim Sanctus Narcissus impetravit, ita ut ad centesimum quinquagesimum quintum annum perveniret. Talibus & tantis ornatus virtutibus Sanctus Narcissus, miraculis & revelationibus Divinis illustratus, (i) cum jam annum centesimum decimum sextum ageret, penes Ecclesiam Hierosolymitanam obdormivit in Domino. Cujus memoria in Martyrologio Romano celebratur die vigesima nona Octobris, qua die Ordo noster ejusdem Sancti festum celebrat. Ex quo Deo Omnipotenti, & Filio ejus Vnigenito, qui in Hierosolymitano Sepulchro dignatus est sepeliri, unà cum Sancto Spiritu, omnis honor, virtus, & gloria; Amen.

(g) *Eusebius lib: 6 c. 9.*

(h) *Andreas Eborensis lib: exempl: memorab: fol: 703.*

(i) *Eusebius lib: 6. c. 9.*

VI.

VITA S. STEPHANI Prothomartyris.

26. Decembr:

SAnctus Stephanus genere Hebræus, (a) Sancti Pauli consobrinus, unus ex (b) septuaginta duobus Discipulis Christi. Hic Sanctus, cum inter cæteros emineret plenitudine gratiæ, fidei & spiritûs, item vi disputandi & efficacia prædicandi, à Christi fidelibus electus est, (c) ut in Diaconum Ecclesiæ Hierosolymitanæ, ab Apostolis ordinaretur, & in Ecclesia Hierosolymitana ministraret. Postquam autem Sacro Diaconatûs Ordine, ab Apostolis insignitus esset, statim se Sancto suo Patri, Iacobo Iusto Apostolo, primo Hierosolymitanæ Ecclesiæ Episcopo adjunxit, ei, (d) tanquam suus Diaconus, dum Missæ sacrificium celebraret, ministrando, tum eidem Sancto suo Patri, purum & inculpatum ministerium exhibendo. Sub hoc Sancto Patre, tantùm profecit Sanctus Diaconus, (e) ut esset plenus omni gratia & maximè fortitudine, tum ad agendum, præsertim ad intrepidè prædicandum, disputandum & convincendum Iudæos, tum ad offerendum se minis,

(a) Corneliꝰ à Lap: in Acta Apost: 6. 6. fol: 143.
(b) S. Epiphani 21.
(c) S. Augustin: serm: 1. de S. Steph:
(d) S. Ignatius Epist: ad Heronem & Epistol: 5. ad Trallianos.
(e) Corneliꝰ ut suprà fol: 145.

nis, periculis, tormentis, lapidationi & martyrio, tum ad patrandum ſigna & prodigia, quibus ſuam fidem & doctrinam de Chriſto confirmabat. Reſplenduit & alijs virtutibus Sanctus Stephanus, ac primo incomparabili charitate, (f) quâ magis ardebat, exceptis Apoſtolis, quàm omnes Sancti ſui temporis, tum Angelica caſtitate, propter quam factus eſt. (g) Præpoſitus Deo dicatarum Fœminarum Hieroſolymis, ex quo meruit teſtimonium ſinceriſsimæ caſtitatis. (h) Propter quam caſtitatem, tum propter & alias virtutes, quas cognoverat in ipſo Beatiſsima Virgo Maria, eidem Beatiſsimæ Virgini ſummè percharus erat, gratias agebat Deo, Beatiſsima Virgo pro ipſius creatione, vocatione & in martyrium electione. Stephanus itidem magni æſtimabat Mariam, ſingulariter ipſam honorando, & protectionem ipſius expoſtulando. Agnovit non ſemel hanc protectionem Mariæ Sanctus Diaconus, nam ſemel ipſum per Angelum de periculo liberavit, ſecundò ne in manus inimicorum incideret, de nocte ex cœnaculo & Eccleſia Hieroſolymitana, Sanctum Diaconum exire non permiſit. Cùm autem tali protectione Mariæ, & tantis eminuiſſet virtutibus Sanctus Stephanus, (i) ſurrexerunt quidam de Synagogis Iudæi Libertini, Cyrenenſes &

(f) *Nicetas apud Metaphraſtem.*

(g) *S. Auguſtinus ſerm: 5. de Sanctis.*

(h) *Petrus Kwiatkowſki, in Revelat: Mariæ de Agreda, nũ: 298. 299.*

(i) *Cornelius ut ſuprà fol: 145. & ſequ:*

& Alexandrini, tum Cilicenſes, ex quibus erat Paulus, Sancti Stephani conſobrinus, & Aſiani, qui Iudæi diſtinctas habebant Hieroſolymis Synagogas, diſputantes cum Sancto Stephano. Vnde diſce: quanta fuerit gratia, virtus, efficacia, ſapientia, prodigia, fulgor Sancti Stephani, qui omnium in ſe Synagogarum oculos convertit, animosq; & linguas armavit, utpotè gloriæ ipſius invidentium. Secundò diſce, quod fama Sancti Stephani, tres Orbis partes pervagata eſt, diſputavit enim cum Libertinis Romanis, qui ſunt in Europa, cum Cilicibus, qui ſunt in Aſia, cum Cyrenenſibus, & Alexandrinis, qui ſunt in Africa. Et non potuerunt reſiſtere Sapientiæ Divinæ, quâ plenus erat Sanctus Stephanus. Hâc enim convincebat, & ex Sacris Scripturis, alijsq; notis & ſignis demonſtrabat, IESUM Chriſtum eſſe Meſsiam, Orbisq; Salvatorem. Inſuper memor Vocationis ſuæ Sanctus Diaconus, (k) qui cùm Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, (l) & Sancti Patris Iacobi Diaconus inſcriptus eſſet, gloriam Reſurrectionis Chriſti, & ipſius Sepulchri ſummoperè promovebat. Cùm enim Iudæi ſubordinaſſent Viros falſos teſtes, qui dicerent ſe audiviſſe Sanctum Stephanum dicentem, verba blaſphemiæ, in Moyſen & in Deum, cumq; adduxiſſent illum in Concilium, viderunt faciem

(k) *Martyrologium Viola Sanctorum. S. Auguſtini*

(l) *S. Ignatij Epiſtola ad Heronem.*

(m) *Cornelius suprà cap: 6. fol: 147.*

ejus, tanquam faciem Angeli, (m) hoc est disputabat tunc Sanctus Stephanus, de Resurrectione vera Christi de Sepulchro, quam Iudæi negabant, ideoq; gloriâ sui Corporis, Resurrectionem Christi de Sepulchro jam factam, incredulis repræsentabat. Vnde Sanctus Augustinus ait: Ad confusionem illorum, revelata facie, speculans in Cœlum gloriam Filij Dei, resurrectionis annuntiabat Sacramentum. (n) Cùm itaq; facies Stephani assumpsit speciem Resurgentis, statim Sanctus Stephanus in hocce Concilio Iudæorum, suam causam agens, doctè & fusè perorat, altèq; exordiens, refricat historias Abrahæ, Isaac, Iacob, Moysis & Prophetarum, qui prænuntiarunt Christum, quibus uti restiterant prisci Iudæi, multosq; ex eis occiderunt, ita nunc posteros eorum, persequi Christum ejusq; Discipulos liberè proclamat. Vnde ingenti zelo, libertate ac spiritu in illos detonat: Dura cervice, & incircumcisis cordibus & auribus, vos semper Spiritui Sancto resistitis, sicut Patres vestri, ita & vos, vocatq; eos proditores & homicidas Christi. Quo circa Iudæi strident frendentq; in eum dentibus, quòd verum dixerit, ipsosq; acriter taxaverit; Sanctus autem Stephanus, nova plenitudine gratiæ, contrà furorem Iudæorum roboratus, nam Sanctissima

Serm: 6. de Sanctis.

(n) *S. Hilarius Arelat: Homil: de S. Stephano.*

ma Virgo Maria misit Angelum suum, ad animandum cor Sancti Diaconi, qui per eundem Angelum filiali affectu respondit: Velle se cum gaudio mori pro fide, simulq; petijt in ultimo certamine protectionem, assistentiam & benedictionem à Maria. Quare formata in similitudinem throni per Angelos lucida nube, in qua Sancti Angeli Sanctissimam Virginem posuerunt, simulq; portarunt, ubi Concilium contrà Sanctum Stephanum agebatur. Hæc apparitio omnibus occulta, soli Sancto Stephano nota fuit, qui ante se in àère, vidit Matrem suam circumdatam Divina claritate & gloriâ. Quare Sanctissima Virgo Maria datis Sancto Stephano vitæ & consolationis verbis, benedixit ipsi, simulq; petijt Æternum Patrem, ut novo Divino Spiritu animaret Sanctum Martyrem, quod obtinuit; nam Divino Spiritu repletus, intrepidè prædicabat & convincebat Iudæos.

Cùm autem finivisset suam disputationem Sanctus Stephanus, vidit gloriam Dei, seu ut dicit Sanctus Gregorius, ipsum lumen in lumine Dei, plena mentis comprehensione, atq; Deum & Trinitatem. Quo viso exclamavit Sanctus Diaconus: Ecce video Cœlos apertos, & Filium hominis stantem à dextris Dei, quæ verba exclamavit partim ex ardenti amore in Iesum,

Gregorius Nisen: Oratio: de S. Steph:

ac desiderio eo fruendi, sed maximè, ut etiam moriens, promoveat gloriam Sepulchri Christi. Vidit Filium hominis stantem à dextris Dei, dat Cornelius rationem: Vt Resurrectionis Christi de Sepulchro, quam Iudæi pernegabant, non tantùm auritum, sed & oculatū testem se esse ostendat, cui postea multos credituros sciebat. Cùm itaq; gloriam Resurgentis Christi, & ipsius Sepulchri, Sanctus Diaconus promoveret, cùm eandem Resurrectionem Christi de Sepulchro, fortissimis rationibus probaret, exclamantes voce magna Iudæi, continuerunt aures suas, quasi horrendam audissent Sancti Stephani blasphemiam, quòd scilicet viderit Cœlos apertos, gloriam Dei, & IESUM de Sepulchro suscitatum, jam stantem à dextris Dei, quem ipsi pro malefico habebant, & ut maleficum crucifixerant, & impetum fecerunt unanimiter in eum, hinc & prætermisso ordine juris, nec dum à Concilio damnatum, ejecerunt Sanctum Diaconum extrà Civitatem, qui hic manentem Civitatem non habebat, futuram enim tota mente quærebat, vel ut similis in hoc, uti & in cæteris, esset Christo, qui extra Hierusalem passus est, ut nos eligeret & vocaret de mundo ad Cœlum. Ejectum itaq; Sanctum Diaconum, extrà Civitatem in Vallem Iosaphat, quæ inter montem Oli-

In Coment: in Acta Apost: cap: 7. fol: 159.

Oliveti & Hierusalem interjacet, juxta torrentem Cedron, quia juxta aquas magna solet esse lapidum copia, eundem lapidabant, Beata autem Virgo Maria, toto lapidationis tempore, preces pro Stephano fundebat. Stephanus autem invocabat & dicebat: Domine Iesu, suscipe Spiritum meum, & cùm ita pro se orasset, pro hostibus autem suis, genuflexus oravit voce magna, quantùm vires illo articulo deficientes ferebant: Domine ne statuas illis hoc peccatum; qua oratione tantùm effecit, (o) ut si Sanctus Stephanus non orasset, Ecclesia Paulum non haberet, qui lapidationis Stephani erat Dux & choragus. Cùm itaqué tam efficaciter orasset Sanctus Martyr, morte justorum, quam ipsi prædixit Beatissima Virgo Maria, obdormivit in Domino, Anno à Christo nato trigesimo quarto, die verò vigesima sexta Decembris, cùm haberet annos circiter triginta quatuor. Cùm autem obdormisset Sanctus Martyr, (p) Beatissima Virgo Maria, hac ipsa die qua Martyrium subijt, jussit sibi Sancti Diaconi adferri Crucem, (insigne Canonicorum Regularium Ecclesiæ Hierosolymitanæ,) quam Sanctus Stephanus portaverat, simulq; jussit sepeliri Beatum Corpus. Curaverunt (q) itaq; & sepelierunt Corpus Sancti Stephani, Viri timorati & religiosi,

(o) *S. Augustinus serm: 1. de Sanctis.*

(p) *Maria de Agreda in revelatiõ. suis Auctore Petro Kwiatkowski nũ: 300.*

(q) *S. Lucianus de invention: S. Stephani.*

ſi, ex quibus erat Gamaliel, qui revelavit Sancto Luciano Canonico Regulari Sanctiſsimi Sepulchri, qui idipſum ſcribit, quod Iudæi Corpus Sancti Stephani abjecerunt in agrum, ut à feris & à volucribus voraretur, quocirca per diem & noctem ibi manſit inſepultum, & à feris avibusq; Dei nutu intactum. Sed Gamaliel nocte ſequenti, miſit Viros fideles & religioſos, qui illud occultè ad Villam ſuam deferrent, quæ ex nomine ſuo dicebatur Caphargamala, viginti paſſuum millibus diſtans ab Hieruſalem, ibiq; Sanctum Corpus poſuit in monumento novo, faciens ei planctum ſeptuaginta diebus. Poſtquam autem ſepeliſſent Stephanum, (r) ſtatim Apoſtoli ſanxerunt, ut quotannis dies martyrij ejus publicè feſtus celebraretur, (s) & Nomen Sancti Protho-Martyris in Lyturgia poſuerunt, his verbis: Stephane, qui es ſolaribus fulgoribus fulgidior, Athletarum Chriſti primus, ut videre eſt in Lyturgia de Martyribus. Vnde & Sanctus Martialis Apoſtolorum Diſcipulus, Altare Sancto Stephano in Gallia dedicavit, cujus exemplum ſecutæ multæ Gallicanæ Eccleſiæ, nomine & titulo Sancti Stephani, magnifica Templa & Baſilicas erexerunt. Miracula ejus poſt mortem, per ſacra ejus Lipſana & Reliquias patrata, multa & magna recenſet Sanctus Auguſtinus, tum

San-

(r) *S. Clemens lib: 8. Conſtit: cap: 33.*

(s) *In Bibliotheca Veter: PP. Pariſien: Oda 8.*

S. Auguſtinus lib: 22. Civ: cap: 8. & Homil: 7. de Sanctis.

Sanctus Prosper, libro de Prædictione, tum Sanctus Gregorius Turonensis, libro primo Historiæ, Capite trigesimo primo, tum & noster Canonicus Regularis Sanctissimi Sepulchri Sanctus Lucianus, in sua Epistola, de Inventione Corporis ejus, qui per expressum hæc verba habet. (t) Multitudo namq; populi aderat nobiscum, inter quos erant plurimi infirmi varijs languoribus; & ipsâ horâ mox de odore suavitatis ejus, septuaginta tres animæ curatæ sunt, ab alijs fugati dæmones, aliarum fons restitutus est sanguinis, alij à strumis & furunculis liberati, alij siringio sanati, alij à tertianis & quartanis, alios febris reliquit, alios morbus regius, alij à cephaleia curati & hemicrania, nonnulli à viscerum oculto dolore liberati, & multas alias curationes senserunt homines, quas enumerare longùm est. Hæc & ego hîc repetere nolo, cùm seorsivus tomus de ijsdem conficiendus esset, & tamen impossibile esset omnia, quæ Sancti Diaconi beneficio patrata sunt miracula, recensere; ut & Sanctus Augustinus testatur, qui multis ijsdem miraculis recensitis, tandem multitudine victus, reliquis recensendis supersedet; si enim inquit: miracula sanitatum ut alia taceam, modò velim scribere, quæ per hunc Martyrem, id est gloriosissimum Stephanum, facta sunt in Colo-

(t) S. Lucianus Epist: de Inventiō: S. Steph:

Lib: 22. Civit: cap: 8.

Colonia Camalensi, & in nostra, plurimi conficiendi sunt libri, nec tamen omnia colligi poterunt. Hoc tamen unum intermittere nolo, quòd ejusdem Sancti, Ecclesiæ Hierosolymitanæ, Vrbis Hierusalem, & Ordinis nostri, miraculosa semper erat protectio. (u) Cùm enim Christiani, Duce Godefrido, Hierosolymam invaserunt, Sanctus Stephanus eandem reddidisse Christianis videtur. Nam ut narrat Guillelmus Tyrius: (w) Cùm Christiani oppugnatione Vrbis defatigati, recederent & deliberarentur, ecce rebus desperatis adfuit Virtus Divina, nam de monte Oliveti, Sanctus Stephanus in Persona militis, aut Angelus ab eo missus fuit, qui tamen postea non comparuit, splendidum & refulgentem ventilando Clypeum, signum dabat nostris legionibus, ut redirent in id ipsum, & congressum iterarent. Quo signo exhilaratus Dux Godefridus Bullonius, primus cum Fratre Eustachio in mænia conscendit, quem alij secuti, illicò ejus jussu effregerunt portam Sancti Stephani, quæ monti Oliveti obversa est, ac per eam, totum in Vrbem induxerunt Christianorum exercitum. Itaq; per miraculosam protectionem Sancti Stephani, à Godefrido & Christianis recepta est Hierosolyma, Anno Christi millesimo nonagesimo

(u) *Cornelio super Acta Apost: cap: 8. fol: 169.*

(w) *Tyrius, lib: 8. belli sacr: cap: 16. & sequenti.*

mo nono, die decima quinta Iulij; Canonici Sanctissimi Sepulchri ad Ecclesiam Hierosolymitanam noviter restituti, novus item Patriarcha primus ex Latinis electus, quæ omnia per miraculosam protectionem Sancti Stephani facta sunt. Ex quo DEO Omnipotenti, & Filio ejus Vnigenito, qui in Hierosolymitano Sepulchro dignatus est sepeliri, unà cum Sancto Spiritu, omnis honor, virtus, & gloria, Amen.



VITA
S. MELANIÆ Junioris.

31. Decembr:

SAncta Melania Romana, (a) antiqua Parentum nobilitate & admirabili sanctitate sua, universo Orbi Christiano notissima, Albinæ Filia, Melaniæ Senioris neptis, Pinianiq; uxor. Hæc Sancta unà cum Melania Seniore & cum Albina Matre, Pinianoq; suo marito imminentem Vrbis Romanæ cladem evasura, Româ recedens Hierosolymam, ad Sepulchrum Christi circa Annum Domini quadringentesimum octavum se contulit. Antequam autem Hierosoly-

(a) Spondan9 Annal: Eccl: Anno 408. n. 11. & 13.

ſolymam venerunt, priùs Carthaginem appulerunt, pauperesq; ejus Eccleſiæ ditarunt, inde Tagaſtam ad Sanctum Alipium acceſſerunt, deinde Hipponem ad Sanctum Auguſtinum proficiſcuntur, ubi accepta ſalutari doctrina ab Auguſtino, Sancta Melania, cum Piniano marito ſuo remanſit aliquandiu in Africa, ac poſt aliquot annos Hieroſolymam navigavit. Ibi adoratis locis ſacris, peregrinata cum marito in Ægyptum ad viſendos Sanctos Monachos eremi accolas, relicta Albina Matre ob ingraveſcentem ætatem Hieroſolymis. Inde verò redeuntes Hieroſolymam, Pinianus conſentiente uxore factus Monachus, ſeorſim à conjunge, excoluit vitam Monaſticam. Sancta autem Melania facta itidem Monialis, ad annos quatuordecim ad Eccleſiam Montis Oliveti, (b) (quæ Eccleſia erat Canonicorum Regularium Cuſtodum Sanctiſsimi Sepulchri, à Conſtantino Imperatore fundata,) clauſa in cella perſeveravit, egitqué vitam Angelis ſimilem. (c) Cùm autem Voluſianus Romanæ Vrbis Præfectus, Melaniæ Patruus, Legatus Hieroſolymam veniſſet, Melaniam Hieroſolymis ubi eandem vitam Religioſam agere vidimus, Conſtantinopolim accerſivit. Qui quidem Voluſianus cùm inter Romanos nobilitate & doctrina nulli ſecundus eſſet,

ta-

(b) *Pennot. lib. 2. cap. 41. §. 2.*

(c) *Spondan. Anno 434. n. 2. & Anno 438. num. 4.*

tamen cultui deorum adeò inflexô animô ad hæc usq; tempora inhæsit, ut nec olim cum in Africam, unà cum Tribuno Marcellino navigasset, & à Matre sua Religiosissima fœmina commendatus, per eundem Marcellinum Sancto Augustino esset, ullis tanti Doctoris quantumlibet potentissimis rationibus, valuerit adduci ad fidem Christi amplexandam. Præstitit autem illud hâc peregrinatione, infatigabili studio Sancta Melania, cùm tam per se ipsam, quàm per alios pijssimos viros, & precibus ad Deum, & hortationibus ad ipsum Volusianum, peregit demum, ut idem Constantinopoli in repentinum morbum incidens, agnita veritate Baptismum à Proclo Episcopo susceperit, & paulò post munitus pretiosissimo Christi Corporis & Sanguinis Viatico, decedens in pace, vitam æternam consecutus fuerit. Sed non solùm Sanctam Melaniam Catholicæ fidei zelo æstuantem, ipsius Volusiani, sed & cæterorum quoq; à fide deviantium, ibidem Constantinopoli curam egisse, ac multos eorũ qui Nestorij erroribus decepti essent, ferventissimis disputationibus convictos, ad fidem Christi reduxisse, nihilq; retardatam vanis dæmonum illusionibus minisqué, nec item depressam acerrimo dolore coxendicis à dæmone inflicto, bellum Domini strenuissimè confecisse, sed &

ipsis Theodosio Imperatori & Eudociæ Augustæ plurimùm profuisse, ac demùm Hierosolymam regressam esse. Cum autem Eudocia Theodosij Imperatoris uxor, voti solvendi causâ Hierosolymam venisset, eidem Melania Hierosolymis præsto fuit, atq; etiam eandem Eudociam, à pedis luxatione, injuriâ dæmonis facta curavit. Quantum autem Melania supervixerit, non constat, sed illud certum est, ipsam Religiosâ vitâ, magna observatione perfunctam, & miraculis pluribus illustratam, die (quam prænovit) Decembris ultima, ad Deum migrasse, & inter Sanctas relatam, anniversariâ memoriâ in Ecclesia & in Martyrologio Romano celebratam esse. Ex quo Deo Omnipotenti, & Filio ejus Vnigenito, qui in Hierosolymitano Sepulchro dignatus est sepeliri, unà cum Sancto Spiritu, omnis honor, virtus, & gloria, Amen.



V I T A

26. Februar:

S. PORPHYRIJ Episcopi.

(a) Surig 26. Februarij.

SAnctus Porphyrius, (a) natus est Thessalonicæ, erat autem ei genus insigne, sed Divi-

vinùs amor eum ſubijt, relinquendi ſplendorem generis, opesq; infinitas & vitam amplecti religioſam. Divino itaq; amore accenſus, relictis domus ſuæ ſplendoribus, & Fratribus ſuis junioribus, navigavit in Ægyptum, recta autem profectus in Scetem, & paucis poſt diebus, depoſitis prætioſis veſtibus, dignatur humili & venerando veſtitu. Cumq; illic eſſet verſatus quinquè annos cum Sanctis Patribus, alius Divinus amor eum ſubijt, adorandi Sacratiſsimum Chriſti Sepulchrum, & alia veneranda Dei loca, & cum veniſſet Hieroſolymam & Sanctiſsimum Chriſti Sepulchrum adoraſſet, abiens in partes Iordanis, habitavit in ſpelunca, ubi eſt verſatus alios quinq; annos, cum multa afflictione, ex ſiccitate & inæqualitate locorum, ex quo incidit in magnum morbum. Videns verò ſe adductum in vitæ periculum, Dei providentiâ, acceiſit quendam ex ſuis notis, ut eum duceret Hieroſolymam; morbus autem erat ſcirrus hepatis cum continua febre. Hoc tamen morbo invaleſcente, & aſsiduè pungente inteſtina, Sanctus Porphyrius non ceſſabat quotidie obire ſacra loca, incurvatus & non valens recto corpore ingredi, ſed innitens baculo. Accidit autem ut quidam Marcus, qui poſtea fuit S. Porphyrij, fidelis miniſter, navigavit ex Aſia Hieroſo-

rosolymam, ad adorandum loca veneranda, & aspiciens Sanctum Porphyrium, continuò vadentem ad Sacratissimum Christi Sepulchrum, mirabatur, quòd in tanta corporis imbecillitate, non dubitaret sic se cruciare. Quodam igitur die, cum Sancto Porphyrio occurrisset in gradibus, rogavit Sanctum, ut ei inniteretur, & gradus ascenderet, sed Sanctus nolebat dicens: Non est justum, ut ego, qui vado ad petendam veniam peccatorum nitar manibus alterius. Ibat ergo, & in Ecclesia Sanctissimi Sepulchri, Divina audiebat eloquia, & misticam mensam semper participabat. Præter autem morbum, & alias afflictiones, hoc ipsum maximè tangebat, quòd remansissent opes, & facultates, & non convenienter, ut dicit Evangelium, venditæ essent & distributæ pauperibus. Causa autem hujus impedimenti fuit, quòd essent ei Fratres pueri, quando excessit è patria. Hoc ergo ægrè ferens, petijt prædictum Marcum, qui jam Sancto Porphyrio fuit familiaris, ut navigaret Thessalonicam, & divideret facultates cum ejus fratribus, ad quod exequendum, dedit ei Sanctus Porphyrius scriptum mandatum, & ipsum Domino commendavit. Cum itaq; Marcus, venisset Thessalonicam, ostendens quod in scriptis habebat mandatum, divisit bona cum ejus fratri-

tri-

tribus, & alias quæ Sanctum tangebant possessiones, vendidit ter mille aureis, vestes verò & argentum, secum attulit, & alios mille quadringentos aureos Hierosolymam. Cumq; ipsum aspexisset Vir Beatissimus, amplexus est ipsum, cum gaudio & lachrymis, Marcus verò ipsum non cognoscebat, habebat enim Sanctus Porphyrius, corpus & faciem rubicundam; quod cum animadvertisset Sanctus Porphyrius, subrisit & dixit: Ne mireris Marce, me videns sanum & robustum, sed disce causam sanitatis, & admirere Christi benignitatem: quadraginta ab hinc diebus cum essem in vigilia Sanctæ Dominicæ, me invasit dolor, quem cum non possem ferre, ivi & recubui propè Sanctam Calvariam, & cum præ magno dolore essem veluti in exstasi, video Salvatorem clavis affixum in cruce, & unum ex latronibus, cum ipso pendentem in alia cruce, & incepi clamare voce latronis: Memento mei Domine, quando veneris in regnum tuum; respondens autem Salvator, dixit latroni pendenti: Descende de Cruce, & serva illum qui recumbit, quomodo tu quoq; fuisti servatus. Latro verò descendens de cruce, me amplexus fuit, & deosculatus, & porrecta dextera me fecit surgere dicens: Veni ad Salvatorem, & statim cucurri ad eum, & vidi ipsum descendisse

de

de cruce, mihiq; dicere: Accipe hoc lignum & ſerva. Cumq; accepiſſem, & portaſſem hoc pretioſum lignum, ſtatim ad me redij ab exſtaſi, & ab ea hora, nullus dolor mihi fuit amplius, (ubi vide vocationem Sancti Porphyrij ad ſtatum Religioſum, ad ſtatum inquam Canonicorum Regularium Cuſtodum Sanctiſsimi Sepulchri, penes quos non tantùm cuſtodia fuit Sancti Sepulchri, ſed etiam cuſtodia & pretioſi Ligni Sanctæ Crucis ut inferius patebit.)

Marcus autem hæc audiens, valde mirabatur, & Deum glorificabat, reddidisq; omnibus pecunijs Sancto Porphyrio, & alijs quæcunq; attulerat, propoſuit manere apud Sanctum, toto vitæ tempore, ei inſerviendo, & fruendo ſpiritualibus ejus orationibus. Cumq; Sanctus Porphyrius, à Marco pecunias & alia quæ attulerat accepiſſet, brevi tempore diſtribuit egentibus, in Sancta Civitate Hieruſalem, & in alijs Civitatibus, tum quoq; & hoſpitibus, qui Hieroſolymis verſabantur, fuit ſecundus Abraham, ita, ut ipſe egeret alimento quotidiano, quod ut ſibi compareret, arti ſutoris coriacei ſe addixit, pelles lavando & conſuendo. Cum hæc ita ſe haberent, & audiviſſet Sancti Porphyrij nomen & virtutes, Sanctus Prailius Hieroſolymitanæ Eccleſiæ Epiſcopus quadrageſimus ſeptimus, cujus etiam

Epiſco-

Episcopatum, Deus multis illustravit miraculis, Sanctum Porphyrium ad se vocavit, quem cum haberet annos quadraginta, licet invitum, in Ecclesia Hierosolymitana, in Presbyterum ordinavit, & statim Catalogo Canonicorum Regularium Custodum Sanctissimi Sepulchri, (ut moris erat Episcoporum Hierosolymitanæ Ecclesiæ,) eundem Sanctum inscripsit. Quod cum fecisset S. Prailius, videns S. Porphyrij magnum in perfectione Religiosa profectum, fecit illum Custodem in Ecclesia Hierosolymitana venerandi Ligni Sanctæ Crucis. Tunc cognovit Sanctus Porphyrius, veram Dei vocationem ad Ordinem Canonicorum Sancti Sepulchri, quam viderat in extasi, quando scilicet vidit Dominum in Cruce, & cum eo latronem, Dominum autem dicentem: Accipe & serva mihi hoc lignum. Hunc autem adeptus honorem & Prælaturam Porphyrius, non mutavit mores priores, sed mansit in magna perfectione; eratq; illi alimentum panis & olera, idq; post occasum solis, alijs autem Sanctis diebus, hora sexta comedebat, accipiens oleum & caseum & madefacta legumina. Tribus autem annis, post quàm fuerat S. Porphyrius ordinatus Presbyter, accidit, ut S. Aeneas Episcopus Ecclesiæ in Gaza; (quæ Ecclesia, erat Ordinis Canonicorum Sanctæ Hiero-

ſolymitanæ Eccleſiæ, Patriarchæq; Hieroſolymitano Suffraganea, (b) ut ſcribit Tyrius,) è vita excederet; Congregati qui tunc erant Clerici, & Chriſtiani, conſultantes cui nam traderent Epiſcopatum, ſed cum exorta eſſet inter illos contentio, & nihil deduceretur ad effectum, viſum ipſis eſt, ut quinq; Clerici & totidem Laici, irent ad Pontificem Metropolitanum, Ioannem nomine, Virum omni virtute ornatum, & peterent ab eo Epiſcopum, quem ei revelaſſet Spiritus Sanctus. Cum ergo ad Epiſcopum acceſsiſſent Gazæi, rogarunt ipſum, ut daret eis Pontificem, potentem opere & ſermone, reſiſtere Idololatris, quod cum audiſſet, ſtatim indixit jejunium, & poſt tres dies revelavit ipſi Dominus, de Beato Porphyrio, Canonico Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, & Cuſtode Sanctæ Crucis; ſtatim igitur ſcripſit Epiſtolam, ad S. Prailium Patriarcham Hieroſolymitanæ Eccleſiæ, cujus facta eſt mentio, ut ad ipſum mitteret ſuum Canonicum, Beatum Porphyrium, propter quandam ſcripturæ quæſtionem, quæ erat ab eo ſolvenda, erat enim Beatus Porphyrius, idoneus ad ſolvendum, quidquid erat difficile in Scripturis Sacris. Literis Beati Ioannis, credens S. Prailius Epiſcopus Hieroſolymitanus, S. Porphyrium dimiſit, jubens ne moraretur illic plus, quàm ſeptem diebus; cum

(b) *Vilbel: Tyriq de bello ſatro lib: 24. c. 12. ad calcém libri.*

cum autem audivisset S. Porphyrius, vim eorum quæ scripta fuerant à S. Ioanne, primùm quidem fuit conturbatus, postea verò dixit: Fiat voluntas Dei; & vespere vocavit suum ministrū Marcum, dicens ei: Eamus & adoremus Sacratissimum Sepulchrum Christi, & venerandam Crucem, multùm enim præteriturum temporis, donec simus illud rursus adoraturi, Marcus autem dixit: Cur sic dicis Pater! Sanctus verò respondit: Præterita nocte vidi Salvatorem dicentem mihi: Redde depositum quod apud te deposui, volo enim te conjungere uxori, tu autem accipiens orna eam, ut obliviscatur prioris suæ mendicitatis; hæc mihi significavit Dominus Christus, nocte præterita, & timeo, ne dum volo expiare mea peccata, expiem etiam peccata multorum, sed tamen Dei voluntatem non licet repugnare. Hæc cum dixisset S. Porphyrius, cum Marco ministro suo, ad Sacrosanctum Christi Sepulchrum ivit, quod cum adorasset, ivit ad vivificam Crucem, quam cum itidem adorasset, deposuit eam in aurea theca, & cum eam tuto clausisset, ivit ad S. Prailium Episcopum Hierosolymitanum, tradendo ei claves à vivifica Cruce, & simul ab ipso expostulando preces.

Cum itaq; egressus esset à Patriarcha, ingressus est iter, cum alijs socijs, nimirum Marco,

duobus agasonibus, & quarto juveni ministro suo nomine Barocha, sequenti verò die venit Sanctus cum socijs suis Cæsaream, cui Beatus Ioannes Archiepiscopus, obviam veniens, eundem salutavit & ad cœnam invitavit. Cum autem multa locuti fuissent Spiritualia, & parum dormivissent, surrexerunt ad vigiliam Sanctæ Dominicæ; illa verò nocte, accersit Beatus Ioannes Gazæos, & dicit eis: Parati eritis ad exitum, hodie enim accipietis Sacerdotem, Virum quem ostendit Dominus; manè itaq; facto rapientes Beatum Porphyrium, ordinarunt eum Episcopum Gazæ, sed S. Porphyrius multùm est lachrymatus, nec erat satietas ulla lachrymarum ejus, dicendo: se esse indignum tali Sacerdotio, à quibus lachrymis vix acquievit. Profectus est itaq; Gazam S. Porphyrius cum socijs, sed in via multas persecutiones passus, nam Idololatræ, qui propè Gazam in pagis, dediti cultui simulacrorum erant, viam quæ ducebat ad Civitatem Gazam, spinis & vallis straverunt, cœnum etiam effuderunt, alijsq; àërem male olentibus vaporarunt, ut Sanctus Episcopus fœtore suffocaretur. Hæc erat in Sanctum persecutio, quam tamen patienter sustinuit; ingressus autem Gazã, & cum introisset in ædes Episcopi, illam Ecclesiam regendam suscepit. Accidit verò illo an-

anno, ut esset magna siccitas & defectus pluviæ, & Cives Idololatræ, hanc penuriam ingressui Beati Porphyrij adscribebant, dicentes: Nobis responsum dedit Marna, Deus imbrium, fore ut Porphyrius esset auctor malorum Civitati, & cõgregati omnes Idololatræ in Marnæo, multa sacrificia, & preces faciebant ea de causa, sed nullo secuto effectu. His sic factis congregati Christiani, rogarunt S. Porphyrium, ut cum eis egrederetur & precaretur, ut dimitteretur pluvia, jam enim erat fames, eoq; magis, quod Beati ingressui adscriberent siccitatem. Persuasus igitur S. Porphyrius, cum edixisset jejunium, & jussisset omnes congregari in Sanctam Ecclesiam, illicq; cum Christianis tota nocte orasset, manè accepto signo venerandæ Crucis, egressi sunt cum hymnis ad antiquam Ecclesiam, ibi quoq; fuderunt preces, ac tandem egressi, iverunt ad Sanctum Martyrium, gloriosi Martyris Timothæi, ubi etiam totidem fecerunt preces; Retro verò euntes in Civitatem, invenerunt eam clausam ab Idololatris, ut dissiparent populum, & ne perficerentur supplicationes; cumq; mansissent duas horas, cum Sancto Episcopo ante portam, & nemo esset qui aperiret, videns Deus populi patientiam, fletusq; & ineffabiles lachrymas, maximè Sancti Viri, motus misericor-

diâ,

diâ, quomodò tempore magni Eliæ Prophetæ, ita quoq; hujus Sancti precibus, movetur ventus, & nubibus tegitur cœlum, & decidit multus imber. Quidam autem Gentiles cum hæc accidiſſent miracula, Chriſtianis portam aperuerunt, verum Deum confeſsi ſunt, & Chriſtianis commixti, clamaverunt: Chriſtus ſolus Deus, ipſe ſolum vicit, quos S. Porphyrius in Eccleſiam admittens, poſtea dimiſit in pace, Chriſti ſignatos ſignaculo. Sed non ſolùm has perſecutiones, ab Idololatris Sanctus Præſul ſuſtinuit, verùm etiam & majora paſſus fuit, non ſemel enim Beatos ipſius miniſtros, uti Beatum Barocham, Marcum, & Cornelium Diaconum, tum crudeliter verberarunt, tum contumelijs affecerunt, & unum videlicet Beatum Barocham, multis verberibus cœſum, ſemimortuum extra pagum in ſolitudinem projecerunt, quem Sanctus Præſul, ſuis precibus jam agonizantem priſtinæ reſtituit ſanitati. Videns hæc Sanctus Porphyrius nefaria, quæ quotidie fiebant ab Idololatris, ſuos fideles miniſtros, videlicet Marcum, & Beatum Barocham, ordine Diaconatûs inſignivit, unumq; ex ipſis nomine Marcum, Bizantium ad Imperatorem miſit, cum ſupplicatione, ut diruerentur templa ſimulacrorum, quod Sancti Epiſcopi deſiderium, per S. Ioannem Epiſcopum Con-

Constantinopolitanum, & Eutropium Cubiculariū Imperatoris effecit, Imperatorq; edictum suum pronuntiavit, ut clauderentur simulacra Gazæorum. Hujus autem edicti executio, demandata est cuidam Hilario, qui cum venisset Gazam, tres primarios Idololatras comprehendit, & accepta ex eis satisfactione, ostendit eis Imperatoris edictum; itaq; eversis omnibus quæ erant in templis simulacris, templa Idolorum clausit, excepto Marnæ simulacro, quod pro eo latenter plurimas accepisset pecunias, quare eadem faciebant ut solebant Idololatræ nefaria.

Contigit autem hoc tempore, magnum miraculum per S. Porphyrium, quod multos provocavit ad fidem: Mulier quædam clara in Civitate, nomine Aelia, cum esset paritura, incidit in magnum periculum, fuit autem hæc causa periculi: fœtus ejus non exibat secundùm naturam, sed conversus erat ad id, quod est præter naturam, & cum unam manum emisisset, non poterat reliquum corpus educi. Cruciabatur verò mulier dolore ineffabili, per septem dies, crescente semper dolore, nihil profuerunt medici, nihil obstetrices, nihil dæmonum superstitio, nihil quotidianum ad Idola sacrificium, erat autem Christiana nutrix, quæ pro ea fundebat preces, in ædibus oratorij, quodam

dam ergo die, ea in Ecclesia orante cum lachrymis, ingressus est S. Porphyrius, ad cujus pedes procidit nutrix, rogans Sanctum, ut pro ipsa rogaret Christum. Re cognita à muliere, dicit S. Præsul: Abi domum & congrega omnes cognatos, parentes, maritum, & jubeas eos extendere manus ad cœlum, & quando hæc fecerint, dic parturienti mulieri coram omnibus: Sanat te Iesus Christus Filius Dei vivi, crede in ipsum. Cumq; audivisset anus, quod Beatus dixerat Præsul, cucurrit domum & cum invenisset omnes flentes, & mulierem in extremo periculo, rogavit ejus parentes, maritum & cognatos, ne angerentur animo, dicitq; ad eos: Manus vestras in cœlum extollite, & fidem date, vos non esse negaturos medicum, illi verò manus extenderunt, quod cum vidisset nutrix, magna voce dixit coram omnibus: Dicit magnus Sacerdos Porphyrius, Iesus Christus Filius Dei vivi, te curat, crede in eum & vives, statim igitur mulier edidit fœtum vivum, omnes autem qui illic fuerant inventi, obstupefacti exclamaverunt: Magnus est Deus Christianorum, magnus est Sacerdos Porphyrius. Die autem sequenti, parentes mulieris, maritus, & cognati omnes, euntes ad Sanctum Porphyrium, prociderunt ad ejus pedes, petentes Christi signaculum;

lum; Sanctus verò cùm illos signasset, & fecisset catechumenos, dimisit illos in pace, præcipiens eis, ut vacarent Sanctæ Ecclesiæ, & paulò post cùm eos catechesi instituisset, baptisavit etiam infantem cum muliere, vocavitq; nomen ejus Porphyrium. Quo magis autem videbant Idololatræ, multiplicari Christianos, eo magis illis utebantur tanquam malis famulis; videns rursus S. Porphyrius, magnam Christianorum injuriam, proficiscitur Cæsaream ad S. Ioannem Archiepiscopum, rogans eum cum lachrymis, ut cum ipso naviget ad Vrbem regiam, rogentq; Imperatores, ut evertantur templa Idolorum, cui respondit S. Ioánnes: Fiat voluntas Christi. Re itaq; ad navigandum parata, acceptisq; S. Ioannes Eusebio, Sanctus autem Porphyrius Marco, Diaconis, navigaverunt & appulerunt ad Rhodum insulam, erat autem in aversa insulæ parte, quidam Anachoreta nomine Procopius, qui habebat donum prophetiæ, ad quem sunt profecti, cùmq; aspexisset illos S. Procopius, procidens in terram eos adoravit, quia cognovit per spiritum, eos esse Episcopos, & rogavit causam itineris, cui Beatus Porphyrius omnia narravit de Gazæis, & quod ea de causa ascendunt, ut rogent Imperatores, ut evertantur templa Idolorum. Quod cùm accidisset, Proco-

pius, dat Sanctissimis Episcopis monita, quæ Deus ipsi revelavit: primùm convenite S. Ioannem Episcopum, & ipse est vobis consulturus ea, quæ ipsi revelavit Dominus, non potest enim loqui in Palatio, quoniam ei irascitur Imperatrix Eudoxia, sed ipse vos commendabit Amantio, Cubiculario Dominæ, Viro pio & qui habet in honore Sacerdotes, ipse vos introducet ad Imperatricem, exponite ergo ei rem universam, in secundo autem ad eam ingressu, postquàm vos eam hujus rei admonueritis, dicite ei: Speramus in Christum, quòd si rei præsenti studueris, est tibi daturus filium masculum, cùm hoc autem audierit, lætabitur, est enim prægnans, & hic est mensis nonus ex quo concepit, & est factura omnia, ut rem vobis reddat effectam Deo annuente. Quæ cùm audissent & credidissent, egressi sunt & pervenerunt Bizantium, sequenti verò die iverunt ad S. Ioannem Archiepiscopum, qui cùm cognovisset qui nam essent, accepit eos magno honore, Sancti verò Episcopi omnem rem narraverunt ipsi, qua de causa venerunt, quibus ipse tale consilium dedit, quale & S. Procopius. Igitur die sequenti iverunt ad Sanctum, & invenerunt apud eum Cubiculariũ Imperatricis, quos Sanctus Episcopus Ioannes, jussit ore proprio Cubicularium docere, de re sua, Sanctissimus

mus autem Porphyrius, ei omnia narravit de Idololatris, & quomodo affligunt & vexant Christianos, Cubicularius ista audiens flevit, & dixit eis: Ne sitis anxii Patres, orate vos & ego loquar cum Augusta, die autem crastino, vos ad eam introducam, invenietisq; eam à me priùs instructam, die verò sequenti accersit Cubicularius Amantius Sanctos Episcopos, per duos Decanos ut irent in Palatium, & surgentes properè iverunt, Amantius autem Sanctos Episcopos expectabat & introduxit ad Augustam Eudoxiam.

Postquàm autem aspexit Sanctos Episcopos Imperatrix, prior salutavit eos, Sancti autem Episcopi, admirati tantam ejus demissionem, ad quos Imperatrix: Scio cur hunc viæ laborem susceperitis, sed ne sitis anxii Patres, spero enim in Dominum nostrum, fore ut persuadeam Imperatori, ea facere, quæ decent vestram sanctam fidem, die autem sequenti accersiit Sanctos Episcopos Augusta, & cùm de more prior salutasset Sanctos Episcopos, jussit eos sedere, & dicit eis: Locuta sum cum Imperatore, & aliquantulum ægrè tulit, sed ne angamini, Deo enim volente non sum cessatura, donec vobis satisfiat, Sanctus verò noster Porphyrius, recordatus ejus, quod dixerat Beatus Procopius Ana-

choreta, dixit Imperatrici: Labora propter Christum, & ipse pro tuo labore est tibi daturus filium, qui vivet & imperabit, te vivente & eo fruente multos annos. Cùm hoc audivisset Imperatrix, repleta est læticiâ, & ruber evasit ejus vultus, accessitq; ei major, quam habebat pulchritudo. Dicit itaq; Sanctissimis Episcopis: Orate Patres ut quomodo dixistis, Deo volente pariamus masculum, & si hoc factum fuerit, polliceor vobis me facturam omnia, quæ petitis, quin etiam aliud, quod non petiistis, sum factura, Sanctam enim Ecclesiam ædificabo Gazæ, in medio Civitatis, abite ergo in pace, pro me rogentes, ut cum Dei benignitate paream; Paucis igitur post diebus, parit Imperatrix masculum, & imponunt ei nomen Theodosij, cùm autem impleti essent septem dies à puerperio, Sanctos Episcopos vocavit, & illis occurrit in porta cubiculi, portans infantem in purpura, inclinavit verò caput dicens: Benedicite Patres mihi & filio, quem donavit Dominus per vestras sanctas preces, infantem quoq; tradidit, ut ipsum signarent, Sancti autem Episcopi & ipsam & infantem signarunt signô Crucis. Postquàm autem locuti essent multa, dicit eis Imperatrix: Scitis Patres quid de re vestra statui facere, Sanctus verò noster Porphyrius, respondens dixit:

xit: Quæcunq; statuisti, ex Deo statuisti, etenim in hac nocte revelatum fuit mihi per visionem, me esse Gazæ, & stare in delubro, quod illic vocatur Marneum, & tuam pietatem mihi tradere Evangelium, & dicere: Accipe, lege, ego autem cùm aperuissem, inveni locum illum, in quo dicit Dominus Petro, tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam, tu verò Domina respondens dixisti: Pax tibi, esto fortis & strenuus, post hoc autem sum excitatus, & ex hoc persuasum habeo, fore ut Dei Filius, tui animi instituto opem ferat. Dic ergo nobis Domina, quid statueris? Imperatrix respondens dixit: Si Christo placuerit, paucis post diebus, dignabitur Infans sacro baptismate, vos autem facite supplicationem, & petite in ea, quæcunq; volueritis, quando autem egressus fuerit Infans ex baptismate, tradite supplicationem ei, qui eum portabit, ego autem docebo eum, quid facere oporteat. Sancti autem Episcopi, hîs præmisîs ab Imperatrice acceptîs, egresi sunt & fecerunt supplicationem in charta, multa petentes, non solùm eversionem simulacrorum, sed etiam privilegia dari Sanctæ Ecclesiæ & Christianis, & præberi reditum Ecclesiæ. Cùm autem venisset dies, in quo erat illumi-

illuminandus novus Imperator Theodosius, & postquàm egressus esset à baptismate, exclamaverunt Episcopi sancti: Rogamus tuam pietatem, chartam quoq; porrexerunt. Postquàm verò aspexisset is qui gestabat puerum, jam enim priùs erat instructus à Domina, jussit chartam eum accipere, & cùm accepisset, constitit, supplicationem legit, postea subjecit manum capiti Infantis, illum inclinavit clamando: Iussit ejus potentia ea fieri, quæ sunt in supplicatione; Hoc autem negotium fuit commissum, Viro Orthodoxo nomine Cynegio, ut omnia Idola usq; ad solum everteret & igni traderet.

Re ita confecta, Sancti Episcopi valedixerunt Imperatrici, & ipsi Imperatori Arcadio, ejusq; Filio Theodosio, multîsq; ab ipsis acceptîs donariîs, navigaverunt Gazam, quos secutus est Cynegius. In itinere verò existens S. Porphyrius, ex revelatione Divina cognovit, Naucleru esse Arianum, quem Sanctus ad fidem convertit, & in recta fide illuminávit. Adnavigaverunt itaq; Gazam Sancti Episcopi, ingressi sunt Civitatem, quos populus Christianus excepit summô gaudiô, Sanctus autem Ioannes Archiepiscopus, post dies duos profectus est Cæsaream, quem S. Porphyrius unà cum Christianis deduxit ad duo milliaria. Post decimum verò diem, venit admirandus

randus Cynegius, habens secum Consularem & Ducem, & magnam manum militarem, & statim cum cohortibus militaribus, impetum fecerunt & everterunt delubra & simulacra, & alia quidem everterunt, alia igni tradiderunt. Tandem impetum fecerunt in simulacra & Marneum, sed à simulacris & Marneo repulsi sunt; Consilium itaq; fecerunt, quonammodo uterentur Marneo, & alij dicebant id debere effodi, alij comburi, alij locum purgari & in Ecclesiam sanctificari, quod cùm deliberassent, S. Porphyrius edicit populo jejunium, & orationem, & sanctam synaxim; Cùmq; hæc Christiani fecissent, puer septem annorum, repentè exclamavit linguâ Syriacâ, dicens: Comburite intus templũ usq; ad solum, id autem quod est exteriùs finite cum ambitu, postea purgate locum, ædificate illic Ecclesiam Sanctam, neq; enim ego sum qui loquor; sed Christus in me loquitur, quæ verba iterum coram S. Porphyrio, linguâ Græcâ repetiit. Admiratus est S. Porphyrius, & omnes qui cum eo erant, statimq; congregati Regulares Clerici, & Cynegius cum militibus, ita, ut puer prædixit fecerunt cum Marneo. Postea facta est Domorum revisio, & ubi inventa sunt simulacra, vel libri pleni præstigijs, ista omnia partim igni tradebantur, partim in cœ-

num

num conijciebantur. Accurrebant verò eo tempore multi, ad sanctam fidem, omnibus portas ad Sanctam Ecclesiam aperiebat S. Porphyrius, eos catechesi instruens, non solùm ante baptismum, sed etiam & postea. Interim dum repurgaretur locus, missæ sunt ab Imperatoribus literæ ad S. Episcopum, quæ continebant descriptam formam Sanctæ Ecclesiæ, in formam Crucis, continebant etiam literæ, prætiosas columnas esse mittendas & marmora. Sanctus verò Episcopus, congregatô populô ad Ecclesiam Irene, ivit processionaliter in Marneum cum hymnis & psalmis, ubi designavit formam Sanctæ Ecclesiæ, quæ scripta fuerat ab Imperatoribus. Factum est autem illa die, magnum miraculum: Tres pueri volentes bibere, ceciderunt in puteum, ex quo fuit magnus tumultus, omnibus concurrentibus ad puteum, quod cùm cognovisset S. Porphyrius, ipse quoq; cucurrit ad puteum, jussit fieri silentium, & cœpit rogare Deum cum lachrymis, ut vivos conservaret pueros, post horã autem, jussit quendam descendere in puteum, & scrutari pueros, inventi igitur sunt pueri sedentes super lapidem, illæsi & hilares, quos cùm extraxissent, habebant signa Crucis tanquam infixa. Venit hoc tempore in Gazam Mulier, nomine Iulia, fide Manichæa & malefi-

malefica, quæ cum aliquos ex Christianis, sua fallaci doctrina seduceret, illam ad se vocavit Sanctus Episcopus; Cum autem persuaderet ei, ut abstineat ab hac mala opinione, respondit mulier: Dic & audi, aut enim persuadebis, aut persuadeberis. Sanctus autem Porphyrius ferens Sancta Evángelia, cum fecisset signum crucis in ore suo, multa ipsi salutaria est locutus, mulier verò multas fabulas & blasphemias in Dominum & Deum universorum effutiit, Sanctus Porphyrius maledicta audiens, motus Divinô zelô, in eam tulit sententiam, dicens: Deus qui glorificatur in Trinitate, tuam percutiet linguam, & obstruet os tuum, ne loquatur blasphema. Sententiæ prolationem, consecutum supplicium, cœpit enim tremere Iulia, facta muta stetitq; immobilis, & cum ita mansisset, profecta ad tenebras, quas in honore habuerat. Quicunq; autem cum illa erant viri cum mulieribus, ab ipsa corrupti, prociderunt ad pedes Sancti Episcopi, quos Sanctus Episcopus catechesi instruens, adduxit ad Ecclesiam.

Post tempus autem quinq; annorum, perfectum fuit opus Ecclesiæ, ad quam Eudoxia, misit triginta duas Columnas admirabiles, ex quibus aliquæ lucebant tanquam Smaragdi; cujus Ecclesiæ dedicationem peregit Sanctus Episcopus,

die Resurrectionis Christi, splendidè ac magnificè. Videntes autem Idolorum cultores, proficere Christianos, iterum in illos seditionem movent, & maximè in Sanctum Episcopum Porphyrium, ita ut septem ex Christianis occiderint, alios sauciaverint, Sanctus verò Episcopus à furore ipsorum declinare debuit. Infra hoc tempus, S. Episcopus, puellam quatuordecim annorum, nomine Salaphtham, catechesi instruxit, instructā baptisavit, & cum ad statum religiosum aspirasset, habitu regulari investivit, & Manaridæ Diaconissæ, ad Monasterium cōmisit, quæ in admirabili vitæ sanctitate, vitam finivit, Beatissimus autem Episcopus Porphyrius, cum in omni sanctitate, virtutibus, & miraculis præluceret gregi, præclaro peracto certamine, adversus Idololatras cum vixisset annos circiter sexaginta septem, in Canonicatu Hierosolymitanæ Ecclesiæ annos tres, in Episcopatu verò viginti quatuor, migravit ad Dominum. Cujus memoriam universalis Ecclesia celebrat in Martyrologio Romano, die vigesima sexta Februarij.

Ex quo Deo Omnipotenti, & Filio ejus Vnigenito, qui in Hierosolymitano Sepulchro dignatus est sepeliri, unà cum Sancto Spiritu, omnis honor, virtus & gloria,

A M E N.



CA-

CATALOGVS
SANCTORUM & SANCTARUM,
Quorum in hoc libro vitæ continentur.

IANVARIVS.

FEBRVARIVS.

MARTIVS.

APRILIS.

MAIVS.

IVLIVS.

AVGVSTVS.

SEPTEMBER.

OCTOBER.

DECEMBER.

INDEX
Rerum notabiliorum.

Gazæ

Lidda

Protestatio Authoris.

SIcut firma fide credo, quod Sancta Romana Catholica, & Apostolica Ecclesia, sit infallibilis Fidei Regula, Magistra & Judex omnium veritatum in quacunq; materia adscribilium, ita quæcunq; hic scripta sunt, omnia volo intelligere juxta sensum ejusdem Sanctæ Matris Ecclesiæ, cujus sensui Supremoq; Judicio, me & scripta mea subjicio.

Ad M. D. T. O. M. G. B. V. M. I. C. H. & SS. PP. O. N. atq; OO. SS. Cultum & Venerationem.

Typographi menda sic emenda.

Fol:	24.	*versu*	23.	vivendi	*lege*	videndi.
Fol:	31:	*versu*	8.	turpidines	*lege*	turpitudines.
Fol:	50.	*versu.*	21	animæ ægritudine	*lege*	animi ægritudine.
Fol:	57.	*versu*	14.	curaverunt	*lege*	juraverunt.
Fol:	57.	*versu*	10.	dirigent.	*lege*	dirigerent.
Fol:	71.	*versu*	21.	Opotenti	*lege*	Omnipotenti.
Fol:	88.	*versu*	10.	abstrahi	*lege*	abstrahere.
Fol:	91.	*versu*	7.	majori nominis	*lege*	majoris nominis.
Fol:	119.	*versu*	20.	venerationem	*lege*	veneratione.
Fol:	148.	*versu*	27.	piorum	*lege*	priorum.
Fol:	168.	*versu*	12.	reddidisq;	*lege*	redditisq;
Fol:	*eodem*	*versu*	23.	compareret	*lege*	compararet.
Fol:	177.	*versu*	27.	accidisset	*lege*	audisset.
Fol:	180.	*versu*	14.	rogentes	*lege*	rogantes.
Fol:	181.	*versu*	22.	præmissis	*lege*	promissis.
Fol:	184.	*versu*	26.	infixa	*lege*	acu infixa.



